A
TI

ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

BIBLIOTECA
CENTRAL

JOHANNIS
ASTRUC,

REGI A CONSILIIS MEDICIS,

Archiatri AUGUSTI II. glorioſæ memoriæ,
Poloniarum Regis &c.;

MEDICI ORDINARII

SERENISSIMI PRINCIPIS

DUCIS AURELIANENSIS,

Et in Regio Franciæ Collegio Profeſſoris Medici,

TRACTATUS

THERAPEUTICUS

ET

PATHOLOGICUS.

Ex Libris Hieronymi Mazzini M. D. Veneti &c.

VENETIIS,

Apud THOMAM BETTINELLI

MDCCXLVIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

JOHANNIS

ASTRUC,

REGIÆ CONSILIIS MEDICIS,

Archiatri AUGUSTI II. gloriosæ memoriæ,
Poloniarum Regis &c.;

MEDICI ORDINARII

SERENISSIMI PRINCIPIS

DUCIS AURELIANENSIS,

Et in Regio Franciæ Collegio Professoris Medici,

TRACTATUS

THERAPEUTICUS

ET

PATHOLOGICUS,



Apud THOMAM BETTINELLI

M. DCC. LVIII.

BIBLIOPOLÆ
LECTORI.

QUIS sit hujus Opusculi Auctor, difficile fere est dictu: ejus igitur historiam paucis habeas. Misit ad nos ante aliquot menses D. La Mothe *Medicinæ Doctor Monspelienſis* Tractatum hunc Therapeuticum, typis nostri subjecturum: dignum hunc judicavit, imo & dignissimum Medicus nostras qui sub prælo nostro sudaret: mox igitur operariis nostris traditum, qui nomen D. La Mothe cuique paginæ apposuerunt: impressæ dein hujus Opusculi paginæ aliquot a Medicinæ Doctore visæ sunt, qui (cum olim Medicam artem didicisset Monspelii, dum ibi Medicinam doceret Celeberrimus D. Astruc) statim præstantissimi in arte sua Magistri fœtum lætus agnovit; hujus autem, cum nitidissimum & accuratissimum possideret exemplar, illud lubenti animo nobis communicavit, & ex collatis exemplaribus evidenter patuit, libri sub typis nostris sudantis Auctorem esse Celeberrimum D. Astruc, cujus igitur nomen merito præ se ferre debet. Non negandum tamen quasdam esse inter bina exemplaria differentias, mox recensendas, non autem tanti momenti, ut aliud Opus dicatur.

Et primo quidem, in genere, in altero manuscripto accuratior est Opusculi divisio, in Sectiones, Capita, Paragraphos &c. qualem videre est in Indice postposito.

In specie, quoad priorem partem in manuscripto D. La Mothe multo major est formularum numerus, inprimis articulis de Apozemate pag. 3. &c. Jusculo pag. 6. &c. Potione pag. 10. &c. Julepo p. 18. &c. Ptisana p. 21. &c. Looch pag. 25. Pulvere pag. 26. &c. Bolo pag. 28. &c. Opiata pag. 29. &c. Pilulis pag. 32. &c. Tabellis pag. 34. Fotu pag. 35. Linimento pag. 43. Cataplasmate pag. 45. Emplastro pag. 47. Clystere pag. 53. Injectione pag. 57. Gargarismate pag. 59. Collyrio pag. 62. Suppositorio pag. 65. Sternutatorio pag. 66.

Præ-

Præter hæc Articulus de Balneo pag. 37. &c. alius omnino eſt in altero MSto, multo brevior, nihilque de aquis thermalibus continet: deeſt caput integrum de Pomata pag. 48 &c. & caput de Unguento immediate ſequitur illud de Linimento, idque paucis verbis.

Hæc de parte priori, quæ quoad formam fere dici poteſt aliud Opus; multa enim adſunt additamenta.

In Parte poſteriori, quæ præcipua eſt, unica tantum adeſt differentia; in ea ſcilicet parte quæ de purgantium differentiis agit a pag. 93. ad 95. quæ hic habes, certe non ſunt verba Celeberrimi ASTRUC: exſcripta ſunt, ex fœtu ſpurio Auctoris Celeberrimi, ex BOERHAAVII Tractatu de Viribus Medicamentorum pag. 95. &c. editionis Pariſinæ anni 1727. In eodem etiam libro inveniuntur quæ hic habes de Vomitoriis pag. 85. ad 86: de purgatione pag. 89. ad 91: de dolore pag. 134. ad 137: quæ etiam exſtant tantum in Manuſcripto D. LA MOTHE, ibique addita videntur.

Vale, his fruere Lector, & mox *Tractatum Pathologicum* ejuſdem Auctoris, id eſt Celeberrimi D. ASTRUC, exſpecta.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Paulo Tommaſo Manuelli Inquiſitor di Venezia* nel Libro intitolato: *Johannis Aſtruc & Tractatus Pathologicus*: e più *Johannis Aſtruc Tractatus Therapeuticus*, Tomi due: non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Tommaſo Bettinelli Stampator di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Luglio 1746.

(Alviſe Mocenigo 2°. Riffor.
(Zuane Querini Procur. Riffor.
(

Regiſtrato in Libro a carte 29. al N. 227.
Girolamo Alberti Segr.

TRA-

TRACTATUS THERAPEUTICUS.

ARTIS fundamenta jecerunt quamplurimi, Physiologiam & Pathologiam explicando: jam vero, Medicinam ipsam aggredior, cum Therapeuticem tractandam suscipio; Therapeutice autem, ut vox ipsa græca satis indicat, ea est Medicinæ elementaris pars quæ docet auxilia, singulis humani Corporis morbis singulisque morbi casibus convenientia, debita methodo ac congrua ratione præscribere: inde facile est colligere, Therapeutices tres partes esse debere, unam quæ explicat in genere naturam & facultatem auxiliorum omnium, quorum usus est in Medicina, sive ex Chirurgia, sive demum ex Pharmacia repetantur; alteram quæ tractat rationem, & methodum, quibus ea auxilia administrari debent, ac solent; tertiam demum, quæ diversis, distinctisque affectibus, aut affectuum circumstantiis; ea præscribat auxilia, quæ utilia sunt: nihilominus tamen ne tractatus iste solitos laboris limites excedat, primæ parti supersedere visum est: itaque hac omissa, duæ tantum futuræ sunt hujus operis partes, quarum prima, de variis medicamentorum administrationibus, sive formulis, breviter aget; in posteriore vero tum variæ, & singulæ indicationes, quæ diversam curandi methodum expostulant, tum varia remedia, quæ singulis indicationibus satisfaciunt, enucleatius proponentur.

THERAPEUTICES PARS PRIOR:

De conſtitutione Medicamentorum, ſeu de Formulis.

MEdicamenta, triplici fine, a Medicis præſcribuntur: alia quidem ut intra corpus aſſumantur, ac per univerſa corporis vaſa diſtribuantur; alia vero ut corporis ſuperficiei admoveantur; alia tandem ut in certas corporis cavitates v. g. rectum, uterum &c. immittantur, inde brevi excludenda; unde famoſa medicamentorum diviſio in interna, externa & media: ſecundum quam, tres quoque futuræ ſunt hujus partis ſectiones, una de Medicamentorum internorum, altera vero de externorum, tertia demum de mediorum compoſitione.

SECTIO PRIMA.

De Compoſitione Medicamentorum internorum.

EX internis Medicamentis, alia ſunt liquida, alia vero ſolida, unde Sectio iſta in duos partitur §os, quorum in uno agetur de compoſitione medicamentorum, quæ ſub forma liquida; in altero vero quæ ſub forma ſolida, præſcribuntur.

§. I.

De iis quæ ſub forma liquida præſcribuntur.

Medicamenta hujuſmodi octo ad ſummum novimus, quæ nunc admittuntur; nimirum *apozema*, *juſculum*, *potionem*, *julepum*, *emulſionem*, *ſyrupum*, *ptiſanam* & *tincturam*, quæ totidem breviter examinabimus.

1o. APOZEMA, ut vox græca ſonat, eſt decoctum ex variis ſimplicibus paratum, *ſaccharo* aut *ſyrupo* edulcoratum, ad unam, duaſve doſes; componi ſolet, *ex variis radicibus*, *corticibus*, *lignis*, *foliis*, *ſeminibus*, *floribus*, & *fructibus*, quæ debita doſi in aqua communi decoquuntur: cuique doſi parati apozematis quæ ℥ v aut ℥ vj eſt, *additur ſyrupi convenientis*, *aut ſacchari* ℥ j, *ut lenocinium palato fiat*. Frequenter etiam adjici ſolent præparata varia Chymica, quæ decocti efficaciam intendant, *ut ſal prunellæ*, *tartarum vitriolatum*, *nitrum depuratum*, ſi apozema ad refrigerandum; aut *tarta-*

rum

rum chalybeatum, *ſal tamariſci*, *abſinthii*, ſi e contra apozema paretur apériens & deobſtruens.

Confecta eo modo apozemata, *alterantia* ſunt, quorum multa eſt varietas, cum in alterando, multæ & diverſæ indicationes ſe ſiſtant: at vero ſi apozematibus *purgantia* quædam incoquantur, vel infundantur, ut *polypodium*, *ſemen carthami*, *tamarindi*, *agaricum*, aut quæ tutiora ſunt, ut jam uſu communiori confirmatur, ſicuti *ſenna*, *rhabarbarum*, apozema nomen purgantis inde merebitur, quale ſolet identidem ceteris apozematibus interjici, ut ſordes ab inteſtinis identidem evacuentur.

Cum ergo apozema paretur decoctione tot ſimplicium, liquet virtutes ipſius eſſe juxta naturam & indolem eorum, quæ in aqua decoquuntur; adeoque plures ſunt apozematis ſpecies, quas tamen, brevitatis cauſa, ad apozema diureticum calidum, frigidum, cephalicum, & alterans reducimus, &c.

Apozema diureticum calidum.

℞. Radicum Cichorei,
Bruſci,
Aſparagi, aa ℥. j.
Petroſelini,
Apii ſylveſtris, aa ℥ ß.
Coque in aquæ fontanæ ℔ j ß per horam integram: ſub finem coctionis adde
Foliorum Cichorei,
Capillorum Veneris,
Scolopend. veri, ex omnibus, m. j.
Cerofolii,
Apii ſylveſtris, ana p. j.
Poſt levem coctionem cola & exprime: fiat Apozema pro duplici doſi mane & ſero per triduum ſumendum, addendo matutinæ doſi,
Syrupi de V. Radicibus, ℥. j.
doſi vero ſerotinæ,
Syrupi de Althæa Fernelii, ℥. j.
Fiat Apozema.

Optimum eſt hoc apozema, in partium externarum *oedemate*, nec non internarum; quia *urinas* movet, *ſanguinem ſpiſſum* attenuat, ipſius *circuitum* accelerat, *ſerumque ſuperfluum* vaſa *relaxans* copioſe eliminat; convenit ergo in *hydrope* incipiente: curat ſæpe *pulmonum* oedema, peripneumoniæ ſuccedens: tandem *viſcera obſtructa* emollit; adeoque in *chloroſi* feliciter quandoque adhibetur; attamen ut felicius ſuccedat in *chloroſi*, *viſcerumque obſtructionibus*, *aperientia quædam* adduntur, cum diureticis calidis, ſicut *rheum contuſum*, & in nodulo *ſuſpenſum ad* ℥ i ß. *Crocus martis aperiens*, ſimiliter in nodulo *ſuſpenſus*, *ad* ℥ j. *vel* ℥ ij. decoquuntur una cum *radicibus aperientibus*, ſicque componitur *apozema diureticum* ſimul & *aperiens*; hoc ultimo modo paratum, mira præſtat in *ictero flavo*, ab hepate obſtructo oriundo, in *Lienis intumeſcentia*, quæ ab

humorum ſpiſſitudine, imo & catameniorum ſuppreſſione, quæ obſtructioni uteri adjungitur, & frequens *chloroſis* eſt comes; ab hoc tandem præparantur humores, & facilius liquentur: quapropter tale antecedere debet *pulveres & opiatas aperientes*, quæ, hos effectus debellandi cauſa, præſcribi ſolent.

Si æger temperamento cacochymico gaudeat, & per conſequens adſit indicatio, ſimul humores ſolvendi, & per inferiora evacuandi, *ſenna* decoqui poteſt ad ʒ ij, vel aliud *purgans* ſimile, una cum foliis, ſicque triplici quaſi virtute, apozema præſcribetur.

Apozema diureticum refrigerans.

℞. Radicum Althææ,
Mènthæ, ana ʒ. ſ.
Acetoſæ
Fragariæ, ana ʒ j ß.
Coque per horam unam in aquæ fontanæ ℔ j ß. ſub finem coctionis adde
Foliorum Lactucæ
Portulacæ, aa, m. j ß
Florum Malvæ, m. ß
Poſt levem coctionem cola & exprime; In colatura diſſolve
Salis Nitri purificati, ʒ. j.
Fiat Apozema pro duplici doſi mane & ſero ſumenda per triduum; doſi matutinæ adde
Syrupi Limoniorum, ʒ. j.
ſerotinæ vero
Syrupi de Nymphæa, ʒ. j.
Fiat Apozema.

Si æger ſiti intenſa crucietur, exhibe *ſpiritum ſulphuris ad gratam aciditatem*: hoc *apozemate*, æſtus ſanguinis compeſcitur, omnes humores humectantur, diluitur *Bilis* nimis exaltata, *urinæ acriores* temperantur, ardor calorque *viſcerum* extinguitur, *alvus* ſiccitate *conſtipata* laxatur; Ergo præcavet *febres ardentes*, *viſcerumque abdominalium inflammationem a bile acriore oriundam*, imo & iiſdem morbis medetur.

Apozema Cephalicum.

℞. Radicum Petroſelini
Eryngii
Fœniculi, ana. ʒ. j.
Poeoniæ maris, ʒ. ß.
Gentianæ
Valerianæ
Enulæ Campanæ, ana ʒ. ij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. j ß per horam integram; dein adde
Foliorum Cichorei ſylveſtris, m. j.
Betonicæ, num. vj.
Coque leviter, dein infunde

Fo-

Foliorum Salviæ,
Florum Cordialium
Lavendulæ, ana pug. j.
Cola pro duplici dosi mane & sero sumenda.

Convenit id *apozema* in affectibus cerebri, ab humoribus crassis in ipso latescentibus sustentatis.

Apozema alterans & diaphoresim leviter movens.

℞. Radicum Bardanæ
Angelicæ, aa ℥. j ß.
Polypodii quercini, ℥. j.
Ligni Sassafras triti,
Radicis Chinæ pariter contusæ, ana, ℥ ß.
Coquantur in aquæ fontanæ ℔. j. ß. ad tertiæ partis consumptionem; sub finem coctionis adde
Epithymi contusi, ℥. j.
Florum Borraginis,
Scabiosæ, ana m. ß.
Cola & exprime pro duplici dosi mane & sero sumenda.

Quandoque hoc apozemate utuntur, ad attenuandos & liquandos humores, adeoque usurpatur præprimis, in morbis cutaneis, a lympha viscida, & tenaci oriundis.

Apozema Emmenagogum.

℞. Radicum Bruscì
Rubiæ tinctorum
Apii sylvestris, aa ℥ j.
Limaturæ ferri rubiginosæ in nodulo suspensæ, ℥. j.
Coque in aquæ fontanæ ℥. xij. ad tertiæ partis consumptionem; sub finem coctionis adde
Foliorum Marrubij fœtidi,
Matricariæ,
Artemisiæ, ex omnibus man. j.
sub finem leviter infunde
Croci Orientalis incisi, pug. j.
Fiat Apozema.
Hoc semel in die, mane scilicet sumitur, per sex, aut octo, vel decem dies continuandum; convenit in *mensium remora*, *uterique obstructione*.

Apozema immoderato alvi profluvio & hæmorrhagiis omnibus dicatum.

℞. Radicum Bistortæ
Tormentillæ
Symphyti majoris, aa, ℥ iij.
Coque in aquæ fontanæ ℥. viij.

In colatura diſſolve
Succi Urticæ rite depurati, ℥. ij.
Syr. Cydonior. vel de Roſis ſiccis, ℥. vj.
Fiat Apozema ſæpe iterandum.

Apozema efficax ad icterum.

℞. Radicum Cichorei
Dentis Leonis, aa. ℥ ß.
Scrophulariæ majoris. ℥ j.
Florum Endiviæ,
Summitatum Fragariæ
Marrubii, aa, pug. iß.
Tartari Chalybeati,
Sennæ mundatæ, aa ℥. j.
Coque per horas octo, lento igne, in vino albo & in aqua fontana ad ℔. ij.
Fiat Apozema, de cujus cultura capiat æger cyathos duos in die, unum jejuno ventriculo, alterum tribus horis poſt prandium.

Magno cum ſucceſſu adhibitum fuit quampluries, miraque præſtat in iſto caſu.

2°. JUSCULUM eſt medicamentum liquidum ex carne ſola, aut cum aliis ſimplicibus decocta paratum, ſic

Juſculum pulli refrigerans.

℞. Pullum juniorem gallinaceum exenteratum & pelle nudatum cujus venter impleatur quatuor ſeminum frigidorum majorum contuſorum ℥ ß.
Coque in aquæ fontanæ ℔ j. ß per horas tres, ſub finem coctionis adde
Foliorum Lactucæ
Endiviæ, aa, m. ß.
Poſt levem coctionem cola & exprime; fiat Juſculum.

Hoc juſculum parari poteſt cum carne *vitulina*, *agnina*, aut *collo vervecino*, tuncque *quatuor ſemina frigida contuſa* in nodulo *ſuſpenſa* in eo decoquuntur.

Aliud bechicum ſeu pectorale.

℞. Pullum juniorem gallinaceum pelle nudatum & exenteratum, Coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate per horas duas: dein adde
Radicum Symphyti majoris
Tuſſilaginis, ana ℥. j.
Sub finem coctionis adde.
Foliorum Borraginis, pug. j.
leviter bulliant; infundendo
Florum Violarum
Tuſſilagini, ana, pug. j.
Cola & exprime.

℞. Qua-

℞. Quatuor ſeminum frigid. major. contuſ. Semin. Papav. albi pariter contuſ. ana, ʒ. j.

Amydalarum dulc. excortic. paria, x. Contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo juſculum fervidum.

Cola & exprime; Fiat Juſculum.

Hoc trachæa, ductuſque bronchiales leniuntur, ipſiuſque humor edulcoratur; quapropter prodeſt quamplurimum in tuſſi ab humorum acrimonia & pulmonum ſiccitate atque ariditate producta.

Aliud bechicum in ſuppuratione pulmonum.

℞. Pulmon. vitulini rec. mactati ℔. j. aut ij. Deſpuma: dein coque per horas duas in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate: adde

Radicis Tuſſilaginis, ʒ. j.
Liquiritiæ raſæ & contuſæ, ʒ. ij.
Sebeſten, paria xij.

Coque per horam: ſub finem coctionis adde

Foliorum Tuſſilaginis,
Pulmonariæ, aa, m. ß.
Hederæ terreſtris, pug. j.

Poſt levem coctionem cola & exprime: Fiat Juſculum.

Juſculum cancrorum fluviatilium alterans.

℞. Pullum juniorem Gallinaceum pelle denudatum & exenteratum. Coque per horas duas in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate; dein adde

Cancros fluviatiles in aqua ferventi ad rubedinem uſque extinctos & in mortario marmoreo contuſos, iij aut iv aut v.

Olla exacte obturata bulliant per horam unam; ſub finem adde

Foliorum Borraginis, man. j.
Cerefolii, pug. j.

Poſt levem coctionem cola & exprime.

Iſtud ſumitur, per dies x. aut xij. aut xv. Convenit in morbis, ab humorum viſciditate cum acrimonia quadam conjuncta productis; præterea ſtomachum corroborat, materias acidas in eo excedentes obtundit, ac deſtruit; idcirco frequentiſſimi eſt uſus in praxi medica.

Juſculum Cephalicum ſeu antiepilepticum.

℞. Radicum Pœoniæ maris
Gentianæ, aa ʒ. j. ß.
Valerianæ hortenſis, ʒ. j.
Seminis Pœoniæ maris, paria x.

Coque in juſculo pulli gallinacei per horam unam; ſub finem coctionis, adde

Foliorum Cichorei ſylveſtris, m. j.
Salviæ tenuioris
Florum Lavendulæ, ana pug. j.

Cola & exprime: Fiat juſculum.

Juſculum adſtringens.

℞. Radicum Symphyti majoris
Tormentillæ
Biſtortæ, ana ℥ ß.
Coque in juſculo pulli junioris per horam unam; dein adde
Foliorum Plantaginis. m. j.
Coque leviter & exprime: Fiat juſculum.

Juſculum diaphoreticum ſeu viperinum.

℞. Viperam vivam, abſcinde caput & caudam, cutem detrahe; & exentera, ſervatis ſeorſim corde & jecore, contunde in mortario marmoreo & pone in olla fictili rite clauſa ſuo operculo cum papyro & paſta, eoque in aquæ fontanæ ℔. ij. per horas tres; fiat juſculum quod capiat mane in lecto in quo manebit æger duarum horarum ſpatio, ſtragulis coopertus, ut ſudor eliciatur.

Notandum ſanguinem, dum viperæ caput, & cauda amputantur, eſſe excipiendum in aqua, ex qua debet parari juſculum; præterea hepar & cor debent devorari poſt ipſius aſſumptum.

Hæc maxime proſunt in *morbis chronicis*, a lymphæ ſpiſſitudine ſuſtentatis, nam mirifice dividunt & atterunt materiem inſenſibilis tranſpirationis, ideoque ductuum ſudoriferorum, tranſpiratoriorumque obſtructiones, & infarctus reſerunt, ſanguiuis circuitum per vaſe cutanea æquabiliorem, redduntque faciliorem. Conveniunt ergo in *tuberculis* ac *puſtulis cutem obſidentibus*: ſanant quoque, ſimili ratione, *ſcabiem* pertinaciſſimam, *herpetes*, non ſolum externas, verum etiam internas; ab infarctu ſæpe liberant, per cutim amandando & expellendo partes duriores, ſalinas nempe & terreas, quibus nonnunquam, ob imminutas ſecretiones naturales, ſanguinis maſſa inquinatur.

Juſculum aperiens.

℞. Radicum Bruſci
Aſparagi
Eryngii, ana ℥. j.
Croci Martis aperient. in nodulo ſuſp. ℥. j.
Rhei contuſi in nodulo parit. ſuſpenſi, ℥ j.
Coque per horam in juſculo pulli aut carnis vitulinæ; ſub finem coctionis adde
Foliorum Cichorei ſylveſtris, man. j.
Cerefolii pug. j.
Poſt levem coctionem cola & exprime: fiat juſculum per novem dies ſumendum.

Convenitque hoc in *chloroſi*, incipientibus viſcerum obſtructionibus, in *ictero*, atque incipiente *hydrope*.

Juſculum menſes promovens.

℞. Radicum Rubiæ tinctorum
Aſparagi, ana ℥. j.
Foliorum Agrimoniæ
Cichorei
Pimpinellæ
Ceterach, ana m. ß.
Cuoci, pug. j.
Cum fruſtulo carnis vitulinæ fiat Juſculum; addendo
Limaturæ ferri rubiginoſæ ℥. ß.

Juſculum detergens.

℞. Radicum Dentis leonis
Agrimoniæ, ana, ℥ ß
Foliorum Agrimoniæ,
Pimpinellæ
Piloſellæ
Millefolii, ana man. ß.
Roſarum rubrarum,
Summitatum Hyperici, ana. pug. ij.
Cum pullo gallinaceo juniore fiat juſculum; cui adde,
Balſami Judaici gutt. xij.
Terebinthinæ Venetæ in aqua liliorum purificatæ, ℥. ß.

Verum ſatius eſt terebinthinam cum culpa caſſiæ, ovorumve vitello diſſolvere, quam cum juſculo; ideoque poterit parari Bolus cum ℥ ß. terebinthinæ parumque pulpæ caſſiæ cum ſaccharo & liquiritia, ſuperbibendo juſculum ſupra præſcriptum.

Purgans juſculum idem eſt, & eodem modo præſcribitur ac alterans, hoc uno diſcrimine quod illi *ſenna* ſimul incoquatur, aut *rheum* infundatur, *mannave* diſſolvatur, ut ea ratione blanda catharſis facilius identidem procuretur; in primis vero ſolemne eſt, ſingulis fere juſculis purgantibus, *rhabarbarum* ad ℥ ß. aut ℥ j. addere; ſicuti aperientibus juſculis addi ſolet *crocus martis* nodulo *ſuſpenſus*.

Ceterum jam uſu receptum eſt, juſculis commiſcere ſuccos ex herbis convenientibus expreſſos, priuſque rite depuratos ad ℥. ij. aut ℥. iij. ut inde herbarum energia, vis decocti efficacior ſit.

3°. POTIO eſt medicamentum liquidum ex decoctione, infuſione, aut diſſolutione variorum ſimplicium, in liquore idoneo præparatum, ad unam pluresve doſes; pro indicationibus variis, quibus deſtinatur, varia eſt, *purgans*, *corroborans* ſive *cardiaca*, *alterans*, &c.

Potio purgans, quæ maximi eſt uſus, *decoctione*, *infuſione*, *diſſolutione* paratur, iiſque vel ſolis, vel conjunctis: ſola quidem decoctione, ſi purgantia, ut *ſenna* v. g. *tamarindi* incoquantur: infuſione, ſi *rheum* infundatur; diſſolutione tandem ſi *manna* aut *caſſiæ pulpa* diſſolvatur ſeorſim in liquore idoneo; hæc potionis præſcri-

ſcribendæ methodus quanquam rara ſit, minime tamen rejicienda videtur, cum inde ſimplici opera tutam catharſim ciere quandoque liceat.

At vero ut plurimum potiones catharticæ, vel ex decoctione, & diſſolutione, vel ex infuſione, & diſſolutione; imo nonnunquam ex infuſione, diſſolutione, & decoctione ſimul parari ſolent, ut exemplum præbet ſequens formula.

℞. Tamarindorum pinguium, ʒ. j.
Coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate ℥ Expreſſioni ad ʒ. vj. infunde

Sennæ mundatæ ʒ. ij.
Rhei electi
Salis vegetabilis, ana ʒ. j.
Cola & exprime: in colatura diſſolvè
Mannæ Calabrinæ ʒ. j ß.
Fiat Potio purgans.

Admiſcentur interdum potioni purganti *Syrupi*, ut *ſyrupus florum perſicorum* vel *roſarum pallidarum*, &c. *Pulveres*, ut *pulvis cornachinus*, vel *de tribus*, & *rheum pulveratum*; *Electuaria* varia ut *de citro* & *diacarthami*; *tartarus ſtibiatus ſolubilis*, *aqua Benedicta Rulandi*, ſive *vinum emeticum*, infuſio *florum perſicorum* &c. pro vario ſcopo, quem Medicus ſibi proponit, quorum omnium uſus, ex dicendis infra, certius liquebit.

Potio purgans blanda:

℞. Pulpæ Caſſiæ recenter e canna extractæ Syrupi de Cichoreo compoſiti, ana. ʒ. j.
Diſſolve in aquæ papaveris rhoeados ʒ. viij.
Fiat Potio.

Alia.

℞. Syrupi de Cichoreo compoſiti. ʒ. j.
Rhei electi, ϑ. j. vel ʒ ß.
Cum aqua pauca Cichorei fiat potio quæ detur mane per hebdomadam alternis diebus.

Maxime prodeſt hæc potio alvi fluxui, & ſtomacho corroborando, deturbando ſcilicet per feceſſum pravos ſuccos, illud viſcus aggravantes, & alimentorum coctionem alterantes.

Potio purgans vulgaris.

℞. Sennæ mundatæ, ʒ. ij.
Rhei contuſi
Tartari ſolubilis, ana. ʒ. j.
Summitatum Abſinthii, p. j.
Coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate; in colatura diſſolvē
Mannæ Calabrinæ, ʒ. ij.
Fiat Potio.

Quamvis hæc potio purgans ſit vulgaris, omnibus tamen non convenit: quidam enim ſunt qui ob acutiſſimum inteſtinorum ſenſum, *ſola manna* vel *rheo* purgantur, & ſi *ſenna* ipſis præſcribatur, materies ejiciunt cruentas, cum graviſſimis ventris torminibus; alii vero qui *ſenna*, *rheo*, *manna* minime purgantur, eiſque addere oportet *jalappa*, aut *diacrydium*, aut *Electuarium diacarthamum*; prudens ergo Medicus ut primum accedit ad ægrum, ab ipſo ſciſcitetur utrum facile vel difficile moveatur.

Mu-

Mutanda eſt formula purgans, juxta variam cruditatum ſpeciem, ſeu indolem, temperiem, vel majorem aut minorem inteſtinorum ſenſum, atque ſi ſignis propriis noſcat Medicus, latentes in primis viis cruditates amaras, ſi æger temperamento fervidiori gaudeat; ſi aliunde ardorem in præcordiis ſentiat, ſi urinas flammeas, cum aliquo doloris ſenſu excernat, ſi ſiticuloſus, demum ſi calor totius corporis major, quam pro ſolito more, ſequens paretur potio purgans.

℞. Tamarindorum pinguium, ʒ. j.
Seminis Lini, pug. j.
Coque in aqua fontana ad ʒ. viij.
℞. Rhei contuſi, ʒ. j.
Cremoris Tartari, ʒ. ß.
Coque leviter in decocto ſupra præſcripto: in colatura diſſolve
Mannæ Calabrinæ, ʒ. ij.
Fiat Potio.

Vel ſequens infuſio paretur in aqua frigida, ptiſana purgans, vulgo regia dicta.

℞. Sennæ mundatæ ʒ ß.
Seminis Coriandri contuſi, p. j.
Cinnamomi, tantillum,
Limonem in fruſtula ſectum,
Infunde per horas xij. vel xv. in aquæ fontanæ ℔. j.
Fiat potio pro duplici doſi, cuilibet addendo Mannæ Calabrinæ, ʒ. j. aut ʒ. j. ß.

Quoties exhibetur *purgatio*, *juſculum* quoque eſt exhibendum, duabus aut tribus horis poſt potionem aſſumptam; illud vero non debet eſſe pingue, ne partibus ſuis oleoſis, pinguioribus & craſſioribus, partes purgantium inviſcando, & perconſequens ipſarum energiam infringendo, evacuationes imminuat, aut etiam totaliter præpediat; idcirco nonnulli ſolent pro juſculo, infuſum *thee* accipere.

Potio purgans mitis in inflammatione ventriculi & inteſtinorum.

℞. Pulpæ Caſſiæ e canna extractæ ʒ. ij.
Seminis Lini contuſi,
Florum Malvæ, ana pug. j.
Coque leviter in ſeri lactis clarificati, vel aquæpulli, aut decocti
Florum Violarum & Verbaſci ℔ j. ß.
Cola pro duplici doſi; in prima diſſolve
Mannæ Calabrinæ ʒ. j. ß.
Fiat Potio: duabus poſt horis exhibeatur altera cum eadem Mannæ quantitate.

Si manna non præſcribatur & potio tantum pulpa caſſiæ componatur, dicitur tunc *dilutum caſſiæ*: In inflammatione ventriculi & inteſtinorum jam facta, dum accidit neceſſitas exhibendi purgans, ut ſi bilis, vel cruditates in primis viis fuerint collectæ, ſæpe *dilutum caſſiæ*, ad plures doſes exhibetur, ita ut quælibet doſis ʒ. ß. vel ʒ vj. pulpæ caſſiæ contineant. Si cum inflammatione inteſtinorum, *dyſenteria* ſit comes, primæ doſi ſupra præſcriptæ, *ipecacuanhæ* ad grana x. aut xv. vel xx. addi poteſt.

Po-

Potio purgans in nephritide, inflammatione ureterum, & veſicæ; & urinæ difficultate, præſcribenda.

℞. Foliorum Parietariæ m. j.
Seminis Lini
Liquiritiæ, ana ʒ. j.
Coque in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ.
℞. Medullæ Caſſiæ recent. e canna extr. ʒ. j.
Florom Violarum, p. j.
Coque leviter in Decocti ſupra deſcripti ʒ. viij. In colatura diſſolve
Mannæ Calabrinæ, ʒ. ij.
Fiat Potio.

Potio in inflammatione pulmonum.

℞. Mannæ Calabr. ℥. iij.
Diſſolve in decocti foliorum Borraginis ʒ. vjij. Cola, fiat potio.

Hæc mite admodum primarum viarum cruditates expurgat, ſanguinem tamen, ſputorumque materiam incidit; idcirco fit ſæpe ut, quamvis leviter & fere nullatenus purget, non mediocre tamen ægris levamen afferat, ſputa copioſius promovendo, ſicque pulmones veluti expurgando; convenitque in catharro pulmonum gravi, qui vulgo ferinus nuncupatur, quia ardorem thoracis, tuſſim moleſtam & ſiccam, febriculamque comites habet; interim ſi prævaleat admodum ardor & ſiccitas thoracis, cum ardor, eretiſmum quemdam fibrarum trachæalium, indicet, tunc convenit huic oleum amygdalarum dulcium ſine igne paratum ad ʒij. vel ʒiij. addere; nam ipſius ope ſputorum lubricantur viæ, ipſa diluuntur ſputa, ductuumque trachæalium rigidæ, & nimis tenſæ emolliuntur fibræ; ſi inflammationi pulmonum adjungatur febris putrida, tunc *tartarum ſtibiatum* ad grana iij. vel iv. additur: ita ut, ab emetico ſic exhibito, nullum pertimeſcendum ſit damnum, cum in primis viis ſuas potiſſimum exerat vires; denique *pulpa caſſiæ* poterit addi, ut ſic magis temperetur actio emetica.

Potio emetica.

℞. Tartari ſolubilis ſtibiati gr. v, aut vj. vel viij. capiat æger cum cochleare juſculi, vel ptiſanæ.

Sic paratus potio emetica; loco tartari ad ʒj. aut ʒ. ij. exhiberi poteſt *vinum emeticum*, imo ubi movendi neceſſitas incumbit, ne ſaburra in ſtomacho contenta, ad ſanguinem traducatur, *illud tartaro* tutius eſt; nam juxta præparationem, & tempus, a quo fuit confectus, diverſos habet virium gradus ipſe *tartarus*; *vinum* vero paratu facile, neque tam facile ſuas amittit vires.

Potio emetica fortior.

℞. Vini ſtibiati turbidi ʒ. j ß. aut ʒ. ij. capiat:

Hæc potio convenit potiſſimum in apoplexia forti, ubi nullum præ-

præstant effectum *cetera emetica* ; quandoque necesse est , emeticis adjungere cardiaca , ut citius , feliciusque agant , ut in *apoplexia* , *febribusque malignis* , idcirco potioni emeticæ *lilium Paracelsi* ad guttas xxx. additur, aut solvitur *confectionis alkermes* ʒ. j. in aquæ aut jusculi s. q., adjuncto dein emetico.

Potionibus ut plurimum purgantibus adjunguntur *emetica* , juxta Medici intentionem ; si enim in ventriculo , simulque intestinis copiosa lateat *saburra*, prosunt *emetica* , cum *purgantibus* ; ast si in stomaco, majori ex parte , contineatur in principio morbi *saburra*, solum *emeticum* exhibere , ut per os , utpote brevitatis gratia , securius eliminetur , tutius est.

Potio Cathartico-Emetica.

℞. Sennæ mundatæ ʒ. ij.
Rhei contusi,
Tartari solubilis, ana ʒ. j.
Coque in aquæ fontanæ sufficienti quantitate : in colatura & expressione dissolve
Mannæ Calabrinæ , ʒ. ij.
Adde
Tartari emetici solubilis. gr. v.
Fiat Potio.

Quandoque spissitudinem, vel tenuitatem materierum in ventriculo contentarum , fit ut *emetico* potenter stimuletur ventriculus , nec tamen exinde subsequatur *vomitus* , sed tantum *nausea* , tunc ut materies tenaces diluantur, illæque obsequiores reddantur , *magna aquæ tepidæ quantitas* est haurienda ; nunquam iis plethora vera apparente gaudentibus , exhibenda est *potio emetica* , quin *venæ sectione* vasa sufficienter fuerint depleta ; secus enim *vomitus sanguineus* , *sputum cruentum* , aut *inflammatio ventriculi* excitatur : in genere nunquam , iis qui *affectibus pulmonum gravibus* laborant , nisi urgeat necessitas , præscribenda ; sic de mulieribus utero gerentibus.

Potio corroborans seu cardiaca ex *aqua stillatitia* conficitur , aut *decocto appropriato* , cui admiscentur *salia volatilia* , *spiritus* pariter *volatiles* , *pulveres cardiaci* , & *electuaria* , sive *confectiones convenientes*.

℞. Aquarum Cardui benedicti
Scabiosæ , ana ʒ. iij.
In quibus dissolve
Salis Volatilis Ammoniaci ℈. j.
Pulveris Viperarum recentis, ʒ ß.
Aquæ Cinnamomi guttas xxv.
Confectionis de hyacintho
Alkermes , ana ʒ. j.
Misce, fiat Potio sumenda ex cochleari.

Hæc potio cochleatim exhibetur , quoties vires refocillare necesse est , vel sanguinem nimis spissum , lenteque circulantem , ac in externis partibus hærentem dividere , ac motum citatiorem cogere.

Potio in ſtomachi debilitate.

℞. Aquarum Cichorei
Menthæ, ana ℥ ij.
Naphæ ℥. j.
Seminis contra,
Salis Abſinthii,
Pulveris Viperarum, ana ℈. j.
Confectionis de Hyacintho. ʒ. j.
Fiat Potio.

In virium debilitate ab hæmorrhagia gravi, vel excretione nimia ſudoris &c. Cardiaca mitiora eſſe exhibenda, tantumque cochleatim, ne commoto nimium ſanguine, cardiacorum uſu, augeatur evacuatio; quapropter vires quodammodo magis exhaurirent; dum vires, dolore acuto exhauſtas, roborare eſt neceſſe, narcotica cum cardiacis miſcere oportet; interim in hoc caſu cardiacorum uſus prudens ſapienſque ſit, ne vaſa cerebri debilitata affectu & actione opii penitus fatisceſcant; quapropter accurate conſiderandus eſt gradus tum doloris, tum virium exhauſtarum, ita ut compenſato gradu virium præſentium, doſis Laudani conveniens exhiberi poterit; interim tutum & prudens a minori doſi Laudani incipiendo, & dein ad majorem, ſi neceſſe ſit, pergendo.

Denique potio ſimpliciter alterans, pari prorſus methodo præparatur; ſed ex diverſis remediis, quæ in aqua ſtillatitia, aut decocto convenienti varie ſolvuntur, prout diverſis uſibus deſtinantur.

Potio antihyſterica.

℞. Aquarum Matricariæ
Artemiſiæ, ana ℥. j.
in quibus diſſolve
Caſtorei gr. iij.
Aquarum Menthæ
Meliſſæ, ana ℥. j.
Theriacæ Andromachi ʒ. j.
Miſce; fiat potio cochleatim ſumenda.

Vermes in ſtomacho & inteſtinis frequentius, quam in ceteris partibus, naſci experientia docet; ad dos debellandos plura adhibentur medicamina: hæc jejuno ventriculo potiſſimum concilianda, ne a cibis ventriculum replentibus, eorum virtus infringatur; attamen poſt paſtum, ſi neceſſe ſit, exhiberi oportet. Ea non ſolum vermes debellant, verum adhuc eorum generationi, ſeu excluſioni obſiſtunt, materiam, vermibus pabula præbendam, emendando; quapropter maximo cum ſucceſſu, in febribus malignis, & putridis, a ſaburra in primis viis putreſcente, ſanguinique dein communicata oriundis, præſcribitur potus contra vermes.

Potio contra vermes.

℞. Aquæ Portulacæ,

De-

Decocti Graminis, ana ℥. iij.
Confectionis de hyacintho
Seminis contra, ana ʒ. ß.
Syrupi Limonum, ʒ. vj.
Olei amygdalarum dulcium, ℥. j.
Misce; fiat Potio statim sumenda.

Alia.

℞. Aquæ Portulacæ, ℥. iv.
Aquæ Theriacalis, ℥ ß.
Confectionis de hyacintho,
Corallinæ præparatæ ana ʒ ß.
Misce; fiat Potio.

Hæc potio est vermifugum potentius, si addatur acetum theriacale ad ℥ ß. Experientia duce. Corallina antiquis incognita anthelminticum præstantissimum, cujus virtutem pluries experta mirabiliter extollunt.

Potio contra intestinorum flatuositates.

℞. Spiritus Nitri vivificatissimi,
Spiritus vini rite alcalisati, ana ♃. j.
Aquæ tepidæ ℥. vj.
Misce, fiat Potio carminativa statim exhibenda; optimum est remedium in illo casu.

Potio in Epilepsia.

℞. Aquarum Betonicæ
Melissæ, ana ℥. iij.
Radicis Pœoniæ maris, ʒ ß.
Syrupi de Herniar. ℥ ß.
Fiat Potio: detur in insultu Epileptico.

Potio diuretica est medicamentum liquidum, ex iis confectum, quæ valent *urinas* movere, tum sanguinem crassum incidendo, ac dividendo, tum materies crassas vel arenulosas in ductibus uriniferis impactas, urinæ secretionem impedientes solvendo, ac rapiendo, tum demum vias uriniferas constrictione, vel nimia tensione angustatas laxando, emolliendo, dilatando, inde variæ hujus potionis species.

Potio diuretica calida.

℞. Radicum Asparagi,
Petroselini, ana, ℥. ij.
Pulv. Millepedum in clibano exsiccat. ʒ. ß.
Spiritus Terebinthinæ, gutt. x.
Misce, Fiat Potio statim exhibenda.

Alia ad eundem scopum.

℞. Aquarum florum Malvæ
Fabæ, ana ℥. iij.

Suc-

Succi Petroſelini,
Cereſolii, ana ℥.jj.
Salis Tamariſci, ℥. ß.
Syrupi de Abſinthio, ℥. ß.
Miſce, fiat Potio.

Hæ conveniunt, quoties ſerum a ſanguine ſpiſſo extricandum eſt, ductus uriniferi obſtructi reſerandi; ſed cavendum eſt ne renum inflammationem excitent, febrem accendant, urinamque integre ſupprimant, adeoque ſumma requiritur cautio, depletis prius venæ ſectionibus vaſis ſanguiferis.

Præterea ſtatim atque in regione renum percipitur dolor vel ardor, illico ſuſpendantur, ne morbus priori gravior addatur: hæc tamen prudenter & convenienter exhibita, ægris maxime proſunt: verum ſi a ſanguinis æſtu, vel ejuſdem motu, aut humorum ſiccitate, vel demum ab aliqua in viis uriniferis diſpoſitione phlogiſtica, urinæ ſuppreſſio ſubſequatur, ita ut aut ductus comprimantur, aut collum veſicæ rigidum nimis & vix dilatabile, tunc alia eligenda ſunt diuretica, humores diluentia, ac temperantia; partes vero ſolidas tenſas, nec non rigidiores, emollientia, lenientia, demum majorem eis conciliantia flexibilitatem.

Potio diuretica in ſuppreſſione urinæ.

℞. Aquæ Parietariæ,
Decocti ejuſdem, ana ℥. iij.
Spiritus Salis rite præparati, gutt. x.
Syrupi de Nymphæa, ℥ ß.
Fiat Potio, detur ſtatim.

Alia efficacior:

℞. Aquæ Liliorum, ℥. vj.
Olei amygdalarum dulcium ſine igne parati,
Succi limonum, ana ℥. ij.
Syrupi Violarum, ℥ ß.
Fiat Potio.

Parari qunque poteſt cum aquæ pulli ℥. VI. in quibus ſolvatur nitri purificati ℈ I. aut ℥ ß.

Potio Sudorifica in pleuritide & peripneumonia.

℞. Succi Borraginis depurati ℥. IV.
Antimonii diaphoretici,
Sanguinis Hirci præparati, ana ℥. ß.
Fiat Potio.

In his morbis feliciter exhibetur ſuccus Borraginis depuratus, quater in die ſumendus, ad ℥. iij. vel ℥. IV; ſuccus ille per aliquot dies continuatus, ſudores fere ſemper movet, ſputorumque ejectionem juvat; ſi tamen mador tantum apparet, ut ſudor copioſius excitetur, potio infra præſcripta exhibenda; erumpente ſudore, continuatur ſuccus Borraginis donec excretio illa aut morbum ſolverit, aut levamen notabile attulerit.

Alia

Alia Sudorifica.

℞. Aquarum Borraginis
Bugloſſæ ana ℥. iij.
Theriacæ veteris, ʒ. j.
Antimonii diaphoretici,
Pulveris Viperarum, ana, ℈. ii.
Granorum Kermes pulverat. ʒ ß.
Miſce, fiat Potio exhibenda, ſervatis ſervandis.

Si eo tempore, quo ſudorificum ſanguinem movet, & exagitat, imminetque ſudoris excretio, aut jam facta, copioſe fluit, æger ſit ſitibundus, potus non eſt illi denegandus, calidus vero conciliandus, nam magis ac magis diluitur ſanguis, duriores diſſolvuntur partes, & cutis, ductuſque ſudoriferi relaxantur.

Attamen ſi æger temperamento ſicco & fervidiori ſit præditus, ſudorifica mitiora ſunt ſeligenda, necnon a largo potu ſanguis diluendus, & compeſcendus eſt: quapropter in hoc caſu ex *foliis Borraginis* vel *Cardui Benedicti*, *Scabioſæ* alteriuſve plantæ ſimilis virtutis parabitur decoctum pro potu ordinario: imo nonnunquam contingit in acutis febribus, ægros bilioſos, aut ſicca temperie præditos invadentibus, ope diluentium, & refrigerantium promoveri tutius ſudores.

Potio abſorbens.

℞. Aquæ Cichorei, ℥. vj.
Specier. pro Confect. de Hyacintho, ʒ ß.
Corallii rubri præparati,
Oculorum Cancri fluviatilis, ana ℈ j.
Miſce, fiat Potio.

Potio adſtringens.

℞. Aquarum Roſarum
Plantaginis, ana ℥ ij.
Sanguinis Draconis
Terræ Lemniæ, ana ʒ ß.
Maſtiches
Boli Armenæ, ana ℈ j.
Miſce, fiat Potio.

Alia.

℞. Succorum Urticæ
Plantaginis, ana ℥ ij.
Tincturæ Roſarum, ℥. j.
Sanguinis Draconis, ℈. ij.
Aluminis rupei pulver. gr. x.
Fiat Potio.

Hæc ultima in hæmorrhagia feliciter uſurpatur, eique narcoticum, maximo cum ſucceſſu, præſertim in ſanguinis ſputo, ubi tuſſim ſedare neceſſe eſt, additur.

4. JULEPUS eſt medicamentum liquidum ex liquore idoneo & ſyrupo ſine coctione paratum.

Julepus refrigerans.

℞. Aquarum Lactucæ
Portulacæ ana ℥ iij.
Syrupi de Nymphæa, ℥. vj.
Salis prunellæ, ℥. j.
Fiat Julepus.

Alter refrigerans ad ſitim ſedandam.

℞. Aquæ acetoſæ ℥ iv.
Spiritus Sulphuris quantum ſatis, ad gratam aciditatem.
Syrupi Limonum ℥. j.
Fiat Julepus.

Hic in diarrhœa bilioſa, & ſuperpurgatione a bile commota, exaltata nimis & acriori producta, apprime convenit.

Alius ad ſitim ſedandam in febre ardenti.

℞. Infuſionis folior. Capill. Veneris, ℥. v.
Succi Malor. aurantior. Luſitan, ℥. ij.
Syrupi Granatorum, ℥. j.
Salis Prunellæ, ℥ ß.
Miſce, fiat Julepus.

Julepus pro dolore faucium & pectoris.

℞. Aquæ Liliorum, ℥. iv.
Syrupi Violarum, ℥. i.
Fiat Julepus.

Alius magis leniens in dolore & ardore pectoris.

℞. Florum Violarum
Pedis cati, ana, pug. j.
Infunde leviter in aquæ ferventis ℥. v.
In colatura diſſolve
Spermatis Ceti recentis, ℥ ß.
Syrupi Violarum, ℥. j.
Olei amygdal. dulc. ſine igne parati, ℥. ij.
Fiat Julepus.

Syrupus capillorum Veneris cum oleo amygdalarum dulcium exhiberi quoque poteſt, quæ identidem & cochleatim exhibitæ, dolorem faucium & thoracis ſedant.

Ut ſit narcoticus, ſyrupus papaveris albi aut laudanum liquidum admiſceri poteſt.

Julepus adſtringens.

℞. Aquarum Roſarum

Plantaginis, ana ℥. ij.
Syrupi de Roſis ſiccis, ℥. j.
Fiat Julepus.

Alius.

℞. Succorum depurat. Urticæ,
Plantaginis, ana ℥. iij.
Aluminis rupei præpar. & pulver. ʒ ß.
Syrupi de Roſis ſiccis, ℥. j.
Fiat Julepus.

Julepus antihyſtericus.

℞. Aquæ Artemiſiæ, ℥. iv.
Syrupi Artemiſiæ, ℥. j.
Salis volatilis Succini, gr. xij.
Tincturæ Caſtorei, gutt. x.
Fiat Julepus.

Julepus diureticus frigidus.

℞. Aquarum Lactucæ,
Florum Malvæ, ana ℥. iij.
Succi Parietariæ rite depurati, ℥. ij.
Syrupi de Nymphæa, ℥. vj.
Spirit. Salis dulcif. cum ſpirit. vini, gutt. viij.
Fiat Julepus ſero & mane per triduum exhibendus.

Julepus diureticus calidus.

℞. Aquæ Herniariæ,
Decocti Aſparagi, ana ℥. iij.
Millepedum in clibano exſiccat. ʒ ß.
Succi ſummitatum Aſparagi, ℥. j.
Spiritus Terebinthinæ, gutt. xv.
Syrupi Capillorum Veneris, ℥. vi.
Fiat Julepus ſero & mane per triduum exhibendus.

5. EMULSIO eſt medicamentum liquidum ex *medulloſa ſeminum & fructuum* quorumdam pulpa, in mortario contuſa, affuſo liquore, lactis inſtar. Emulſum multis indicationibus ſatisfacit, nimirum ſitim ſedat, æſtum temperat, humorum acrimoniam demulcet, ſomnum conciliat; fructus e quibus educitur, ſunt *amygdalæ dulces cortice denudatæ*, & *pinei*; *ſemina* vero ſunt *quatuor frigida majora*, *ſemen lactucæ*, *papaveris albi* &c. Liquor tandem qui contuſis fructibus, & ſeminibus affunditur, eſt *aqua ſtillatitia*, vel *decoctum hordei*, *ptiſana communis*. Sic

℞. Semin. iv. frigid. major. mundat. ʒ ß.
Amygdalarum dulcium excortic. par. vi.
Contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo.
Aquæ Lactucæ vel Decocti Hordei ℥. vi. In colatura diſſolve
Syrupi Capillorum Veneris, ℥. ij.
Fiat Emulſio.

Si addatur Syrupus papaveris albi aut Laudanum liquidum, fiet emulsio narcotica, cui addi solet aquæ naphæ ad ʒ. j. ne ab emulsione narcotica debilitetur stomachus.

Altera Emulsio magis refrigerans & viarum urinæ dolorem leniens.

℞. Seminis Lini contusi, ʒ. j.
Liquiritiæ rasæ & contusæ, ʒ. ij.
Coque in aquæ fontanæ sufficienti quantitate; sub finem coctionis adde
Florum Malvæ, m. ß.
Violarum, pug. j.
Cola & exprime
℞. Seminum iv. frigid. major. mund. ʒ ß.
Amygdalarum dulcium excortic. par. viij.
Contunde in mortario marmoreo, sensim affundendo præscripti decocti ferventis ʒ. viij.
In colatura dissolve
Syrupi Violarum ʒ. j.
Papaveris albi, ʒ. v.
Fiat Emulsio.

Notandum autem Emulsionem in diem non posse procrastinari, quod acorem facile contrahat, nec acidorum miscelam tolerare, quod inde lactis instar coaguletur, & in grumos concrescat.

6. Syrupus est medicamentum liquidum, ex herbarum succo, infuso, vel decocto paratum, cum saccharo ad debitam consistentiam coctum.

Syrupus purgans, vel *alterans* est; *purgans* magistralis erat, hoc est, a Medicis olim, data opera, præscribebatur; sed nunc raro, vel nunquam in usum vocatur; quoniam potiones anteferunt, ut simpliciores; præparabatur *ex apozemate alterante*, cui *purgantia electa* incoquebantur, aut ex plantarum convenientium succo expresso, cui affundebantur; postea colatura, æquali sacchari pondere edulcorata, lento igne, ad consistentiam Syrupi coquebatur.

Syrupus alterans, cujus nunc solus usus viget, semper officinalis est, conficitur eodem modo ac purgans, ex decocto, infuso, succove alterante, cum æquali sacchari quantitate ad Syrupi consistentiam coctis, ut ex sequenti formula colligere est.
℞. Florum Tunicæ, ℔. iij.
Infunde & leviter coque in
Aquæ communis ℔. ix.
Iteretur infusio eadem cum novis floribus Tunicæ, & colaturæ expressæ & clarificatæ, adde
Sacchari optimi ℔. vj.
Coque lento igne; fiat Syrupus de tunicis qui cardiacus est.

Syrupi raro soli, & seorsim præscribuntur; sed ceteris remediis, potionibus, julepis, emulsionibus, opiatis, &c. adjungi solent.

7. Ptisana antiquorum dilutior, erat hordei Cremor, quo solo ægros sustentabant, neque enim jusculi usum noverant, aut admittebant, qua-

qualem jam admittimus, neſcio an bonis, maliſve ægrotantium rebus; nunc vero *ptiſana* eſt medicamentum liquidum *decoctione*, vel *infuſione* paratum cum aqua communi, ad potum ordinarium; ratione virtutis & efficaciæ, *alia purgans* eſt, *alterans alia*; *purgans* ex catharticis in multa aquæ copia coctis, aut infuſis præparatur, cujus Cyathi aliquot ſorbentur ad catharſim; ſic ptiſana quæ regia dicitur, ex ſenna quæ cum pomo regio, vel malo citreo in taleolas ſecto, in aqua fontana frigide vel tepide infunditur, & iterato hauſtu propinatur; *alterans* ex alterantibus variis in aqua fontana coctis aut infuſis componitur, pro vario ſcopo, cui ptiſana deſtinatur, qui ſolet eſſe multiplex, modo ad diluendum, modo ad refrigerandum, modo ad demulcendam lotii acredinem, modo ad tuſſim & trachææ arteriæ aſperitatem mitigandam, modo ad diaphoreſim eliciendam, modo tandem ad reſtringendum præſcribitur: verum caute attendendum eſt ptiſanas, quæ diuturno uſui deſtinantur, levi coctione, vel infuſione parandas, ut palato gratiores, & ſtomacho leviores ſint.

Ptiſana refrigerans vulgaris.

℞. Hordei integri a ſordibus expurgati, m. j.
Radicis Graminis canini, ʒ. iij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. iv. ad quartæ partis conſumptionem; ſub finem coctionis adde
Liquiritiæ raſæ & contuſæ ʒ. j.
Cola; fiat ptiſana.

Altera ſanguinem refrigerans, ejuſque acredinem demulcens.

℞. Seminum iv. frigid. major. mundat. ʒ. j.
Amygdalarum dulcium excortic. par. vj.
Seminis Papaveris albi, ʒ. iij.
Contunde in mortario marmoreo, ſenſim affundendo.
Decocti Hordei ferventis ℔. vj.
Cola; fiat ptiſana pro potu ordinario.

Ptiſana leniens.

℞. Radicum Nymphææ
Bugloſſæ, ana, ʒ. ij.
Althææ, ʒ. j.
Foliorum Bugloſſæ
Capillorum Veneris, ana, m. j.
Seminum Papaver. alb. & contuſ. & in nodulo ſuſpenſorum, ʒ. j.
Florum Malvæ
Violarum, ana, m. ß.
Coque in Aquæ Hordei ℔. iv. per ſemihoram & cola; hoc decocto utatur æger per ix. dies, bibendo cyathos iij. aut iv. ſingulis diebus.

Hæc ptiſana humorum acrimoniam tollere valet, & potiſſimum in dyſenteria, in principio gonorrhœæ virulentæ maximo ardore ſtipatæ, in tuſſi moleſta, in nimio cutis pruritu, herpete, ſcabie &c. commendatur.

Ptiſana pectoralis.

℞. Foliorum Capillorum Veneris, m. j.
Florum Tuſſilaginis
Pedis Cati, ana, m. ſs.
Liquiritiæ raſæ & contuſæ, ʒ ſs.
Infunde in Aquæ ferventis ℔. v.
Cola; Fiat Ptiſana.

Altera.

℞. Aquæ Hordei ℔. j.
Mellis Narbonenſis, ʒ. iv.
Coque & deſpuma per horam integram:
Colatura ſervetur pro potu ordinario.

Hæc in ſuppuratione pulmonum incipiente, a catharro ferino oriunda, mirifice prodeſt; leniendo enim ruſſim mitigat, ejectionem facilitat, & partem pulmonum ſuppuratam detergit; hoc ultimum efficacius præſtabit, ſi ſummitates hyperici floridi ad pug. ij. addantur, erit tunc pectoralis, leniens ſimul & detergens.

Ptiſana ſanguinem leviter incidens, quæ vulgo decoctum album dicitur.

℞. Raſuræ Cornu Cervi in nod. ſuſpenſæ, ʒ. ij.
Aquæ fontanæ ℔. vj.
Coque ad tertiæ partis conſumptionem: ſub finem infunde
Cinnamomi craſſiuſcule triti, ʒ. j.
Cola: fiat Ptiſana.

Hoc decoctum in morbis, a ſanguine ſpiſſo ſuſtentatis, mirifice convenit, humorumque depurationi favet per cutim, quapropter in variolis, & morbillis difficile erumpentibus, *in febribus malignis*, quæ potiſſimum *petechias* habent adjunctas, in *rheumatiſmo*, pluribuſque cutaneis affectibus prodeſt, ſanguinem leviter incidit, fluidiorem reddit, diaphoreſimque blande promovet, adeoque non raro pulmonum affectibus medetur, ab humoribus craſſis, ſimulque ſalſuginoſis; Syrupo limonum, vel granatorum admixto, quo etiam guſtui magis placet, temperatur.

Ptiſana diuretica calida.

℞. Radicum Bruſci,
Aſparagi, ana, ℥ ij.
Coque in aquæ fontanæ ℔. vj. ad quartæ partis conſumptionem; ſub finem coctionis leviter ebulliant
Florum Herniariæ
Cichorei ſylveſtris, ana, m. j.
Cola & ſervetur ad uſum.

Altera lacti ſuppreſſio evacuando dicata.

℞. Radicum Arundinis,
Petroſelini, ana, ℥. ij.
Coque in aquæ fontanæ ℔. vj. ad quartæ partis conſumptionem; Colatura ſervetur pro potu ordinario.

Hæc ptiſana, lac ſpiſſum, & quaſi in grumos converſum ſolvit & liquat, ſolutumque per renes eliminat, unde urinæ lacteæ; multo præſtantius effectus ſuos efficiet, ſi tepida exhibeatur.

Ptiſana diuretica refrigerans.

℞. Foliorum Parietariæ, m. j.
Seminis Lini, ℥. ij.
Liquiritiæ raſæ & contuſæ, ℥. ij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. iv. ſub finem coctionis infunde
Florum Malvæ
Nymphææ, ana, m. ß.
Colatura ſervetur ad uſum.

Magno cum emolumento in difficili, & dolorifica mictione præſcribitur hæc ptiſana, quapropter in doloris nephritici paroxyſmo convenit, imo ejuſdem reditum præcavet, aut retardat, ſolvendo partes urinoſas, ſabuloſas & tartareas, viaſque uriniferas leniendo, & lubricando.

Alia diuretica refrigerans ſimul & ſitim ſedans.

℞. Acetoſæ cum toto, m. j.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. iv. ad quartæ partis conſumptionem: in colatura diſſolve
Nitri puriſſimi, ℥. ij.
Fiat Ptiſana.

Cum magno ægrorum levamine in febre ardenti, hæc præſcribitur.

Ptiſana adſtringens.

℞. Radicis Symphyti major. recent. ℥. iv.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. vj. ad quartæ partis conſumptionem: ſub finem coctionis adde
Foliorum Plantaginis,
Urticæ, ana, m. j.
dein infunde
Roſarum rubrarum, m. ß.
Cola: fiat Ptiſana.

Ad ſiſtendam quamcumque hæmorrhagiam, maximi eſt uſu hæc ptiſana; ſanguinis quoque ſputo, ut & immodico hæmorrhoidum fluxui quamplurimum prodeſt.

Altera.

℞. Radicum Tormentillæ
Biſtortæ, ana, ℥. ij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. vj. ad quartæ partis conſumptionem; ſub finem coctionis leviter infunde
Roſarum rubrarum, m. j.
Colatura ſervetur ad uſum.

Hæc in dyſenteria pertinaci, diuque perſeverante, ubique irrita fuere cetera auxilia, mirifice prodeſt, ſicut & etiam in diarrhoea ferosa & inveterata præſcribi quoque poteſt.

Ptiſana aperiens.

℞. Radicum Anonidis,
Graminis, ana, ℥. j.
Petroſelini, ℥. j.
Foliotum Agrimoniæ
Pimpinellæ,
Capillorum Veneris, ana, m. ſ.
Florum Calendulæ, m. ſ.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. v. per ſemihoram: Cola, fiat Ptiſana.

Ptiſana diaphoretica gonorrhoeis virulentis dicata.

℞. Antimonii crudi craſſiuſcule triti & in nodulo ſuſpenſi, ℥. iv.
Salſæparillæ minutim ſectæ, ℥. ij.
Infunde per horas xx. ſupra cineres calidos in aquæ fontanæ ℔. viij, dein coquatur ad mediæ partis conſumptionem & coletur: hoc decocto utatur per xv, aut xx. vel xxx. dies ter in die, hujuſque ſingulis vicibus cyathum amplum bibat, unum mane, alterum tribus horis poſt prandium, tertium tandem hora ſomni.

Ptiſana ſudorifica in fine gonorrhœæ præſcribenda.

℞. Saſſafras
Salſæparillæ, ana ℥. ij.
Corticis Guaiaci, ſive Ligni ſancti
Radicis Chinæ, ana, ℥. j. ſ.
Antimonii crudi craſſiuſcule triti & in nodulo ſuſpenſi, ℥. ij.
Radices & Ligna incidantur, dein omnia infundantur tepide per noctem in aquæ fontanæ ℔. xij: poſtea bulliant moderato igne ad tertiæ partis conſumptionem, addendo ſub finem
Foliorum Sennæ, ℥. ſ.
Radicis Liquiritiæ, ℥. j ſ.
Colatura ſervetur ad uſum & præſcribatur ut ſupra.

Victus regimen tale inſtituendum eſt. 1°. a cibis crudis, acidis, ſalſis aut piperatis abſtineat, 2°. mediocris ſit potus vini, 3°. avibus, caponibus, aliiſque potiſſimum igne aſſatis veſcatur, 4°. in die comedat ſemel tantum offam, mane ſcilicet; non ſolum in *affectibus ve-*

ne-

nereis, ſed etiam *cutaneis*, *chronicis morbis* a lympha ſpiſſa, & ſalſuginoſa ſuſtentaris, quam multum convenit; prodeſt etiam in *rheumatiſmo*, & quandoque non levis eſt emolumenti in *ſchrophuloſis*; hujus ergo uſus eſt frequens in praxi medica; ſi vero ad debellandum morbum venereum adhibeatur, ejus compoſitionem mercurius ſemper ingrediatur, ſi vero ad alios a viru venereo non dependentes abſque eo parari poteſt.

80. LOOCH eſt remedium forma liquidum, ſyrupum conſiſtentia adæquans, vel ſuperans, pectoris affectibus accommodatum; componitur ex pulveribus *bechicis* & *ſyrupo convenienti*, vel ex *pulpa fructuum*, *pulveribus*, & *ſyrupo*, vel *ſolis ſyrupis*, aut cum *ptiſana pectorali pulveribus bechicis* commixta ut in ſequenti formula.

℞. Pulpæ radicis Althææ, ℥. j.
Succi Liquiritiæ, ℥ j.
Miſce cum Syrupo de tuſſilagine fiat Looch, quo frequenter utendum eſt.

Looch ad tuſſim ſedandam.

℞. Aquæ Liliorum ℥. iij.
Gummi Arabici, ℥. ij.
Syrupi Violarum, ℥. j.
Fiat Looch.

Gummi arabicum ſolvendum eſt in aqua liliorum, & ſi in eo ſoluto, conſiſtentia ſufficiens non adſit, evaporatur ad conſiſtentiam, tunc *ſyrupus violarum* eſt addendus; immergendo fruſtulum *liquiritiæ*, eo utitur æger, quod diu lambit, vel tantillum aſſumit, & in ore aliquandiu detinet, ſenſim deglutiendo.

Looch ſputationem promovens.

℞. Butyri inſulſi & mallis Narbonenſis ad partes æquales, liquentur ſuper ignem mediocrem: fiat Looch.

Aliud incidens ſputa viſcida.

℞. Mellis Narbonenſis, ℥. ij.
Pulpæ Paſſularum, ℥. j.
Florum Sulphuris
Benzoini, ana, ℥. j.
Cum ſufficienti quantitate Syrupi de Eryſimo fiat Looch.

Aliud ad ſputum ſanguinis.

℞. Mucaginis Cydoniorum
Seminis Pſyllii in aqua roſarum extractæ, ana, ℥. ij.
Syrupi de Roſis ſiccis, ℥. j.
Sacchari rubri, ℥ ſs.
Miſce; fiat Looch.

Solet etiam Looch diu in ore retineri, ut ipſius partes oris calo-

re

re exhalatæ, una cum iſpirato aere, in trachæam & pulmones penetrent, quorum morbis & affectibus ſpeciatim dicantur ad tuſſim ſedendam, expectorationem juvandam, conglutinanda ulcera, &c.

§. II.

De compoſitione medicamentorum internorum, quorum forma ſolida & ſicca eſt.

Quinque ſunt iſtiuſmodi remedia, nempe *pulveres*, *bolus*, *opiatæ*, *pilulæ*, & *tabellæ*, quæ totidem expendemus.

1°. Pulvis eſt medicamentum, forma ſiccum, ex ſimplicibus variis contritis, comminutiſque compoſitum, ut v. g. ſequentes.

Pulvis eſt *purgans*, ſi ex alterantibus componatur; *purgans* ſimul & *alterans*, ſi ex utroque.

Pulvis cornachinus ſeu ex tribus.

℞. Diagrydii, Cremoris Tartari & Antimonii diaphoretici ad partes æquales: fiat Pulvis.

Eſt doſis ʒ. ſß.; aliquando, ſed raro ad ʒ. j.; hic iis convenit, qui temperamento pituitoſo præditi, humores habent ſpiſſos & ſeroſos; ſolida vero mollia & laxa; adeoque feliciter eo utuntur, qui tali temperamento præditi, purgatione indigent.

Pulvis purgans & contra vermes.

℞. Aquilæ albæ gr. xx.
Jalappæ gr. xv.
Miſce, fiat pulvis cum pulpa pomi cocti exhibenda.

Pulvis cachecticus.

℞. Croci Martis aper. maj. ror. præpar. gr. xx.
Radic. Ireos florent. exſiccat. & pulverat.
Caſſiæ ligneæ, ana ϑß.
Cinnamomi,
Florum martialium, ana gr. viij.
Miſce, fiat Pulvis pro una doſi.

Adhibetur iſte frequenter in chloroſi, imo quotieſcumque, data humorum ſpiſſitudine, viſcerum obſtructiones incipiunt, quas profligat, reſtituta humorum fluiditate, corroboratoque ſtomacho.

Pulvis aperiens.

℞. Croci Martis aper. maj. ror. præpar. gr. xx.
Rhei
Pulveris Millepedum, ana gr. xv.
Æthiopis miner. abſque igne parat.

Salis-

Salis Tamariſc. ana gr. x.
Reſinæ Jalappæ,
Extracti Hellebori nigri, ana, gr. v.
Miſce: fiat Pulvis pro unica doſi.

Pulvis abſorbens.

℞. Corallii rubri præparati,
Oculorum Cancri fluviatilis, ana ℈ j.
Cornu Cervi philoſoph. præpar.
Antimonii diaphoretici, ana, ℈ ß.
Miſce, fiat Pulvis pro unica doſi.

Pulvis adſtringens.

℞. Sanguinis Draconis veri,
Terræ ſigillatæ, ana, gr. xv.
Aluminis rupei, gr. x.
Miſce, fiat Pulvis.

Pulvis emeticus.

℞. Pulveris Algaroth, gr. iij.
Scammonii, gr. v.
Miſce: fiat Pulvis.

Pulvis multum efficax ac hydropem.

℞. Antimonii diaphoretici, gr. xij.
Scammonii, ℈ ß.
Cremoris Tartari, gr. iv.
Miſce, fiat Pulvis qui detur cum juſculo.

Pulvis roborans.

℞. Corallii rubri præparati,
Oculorum Cancri fluviatilis,
Chinæ Chinæ, ana, ʒ ß.
Miſce, fiat Pulvis de quo capiat ʒ. j. ſingulo mane per x. dies cum juſculo Agrimonio, Cichoreo, Pimpinella alterato: poſſunt addi
Rhei electi, ʒ ij.
dum languet ſtomachus.

Pulvis ſumitur in vino, in aqua, juſculo, & infuſione herbarum, aut panatella; aut vitello, pulpæ pomi cocti, melli, conſervæ, ſyrupo cuidam admiſcetur, ut inde Boli ſpecies efformetur: iis utilis eſt qui, præ ventriculi imbecillitate, opiatæ pondus, minus bene tolerant, quibuſve induratæ opiatæ difficilius diſſolvuntur.

2. BOLUS eſt medicamentum molle ex *electuariis*, *pulpis*, *conſervis*, *pulveribus*, in mediocrem conſiſtentiam redactis; *purgans* eſt

vel

vel *alterans*; *purgans*, ex pulpa ſola, vel pulveribus purgantibus commixta præparatur; *alterans* vero ex conſerva ſimiliter, aut electuariis mollioribus cum ſpecificis pulveribus.

Bolus purgans.

℞. Medullæ Caſſiæ recentis, ℥. j.
Rhei pulverati, ʒ ß.
Miſce, fiat Bolus mane ſumendus.

Alius fortior.

℞. Medullæ Caſſiæ recentis, ℥. j.
Rhei pulverati, ʒ. j.
Salis Prunellæ, ℈. j.
Miſce, fiat Bolus.

Bolus nephriticus ſuppreſſioni urinæ dicatus.

℞. Pulpæ Caſſiæ recentis, ℥. j.
Rhei electi pulverati, ʒ ß.
Jalappæ gr. xv.
Cum Saccharo & Liquiritia, fiant Boli plures.

Bolus ſuppreſſioni urinæ cum ſubito abdominis hydrope dicatus.

℞. Pulpæ Caſſiæ recentis, ℥. j.
Succi Iridis noſtratis rite defæcati, & cum vitello ovi unius permixti, ℥ ß.
Pulveris Jalappæ, gr. xij.
Cum Saccharo & Liquiritia, fiant Boli plures.

In illo quoque caſu, magno cum ſucceſſu ſuccus iridis noſtratis ad ℥. ij. vel ℥. iij. cum juſculo, aut ovorum vitello diſſolutus præſcribitur; in primis cum in renibus materies viſcoſæ & fabuloſæ, urinæ ſecretionem prohibentes, latitant.

Bolus ad effectus Venereos.

℞. Pulpæ Caſſiæ, ℥. j.
Terebinthinæ Venet. in Aq. Lilior. rite purif. ʒ. ij.
Æthiopis mineralis, ℈. ij.
Diacrydii, gr. viij.
Miſce, fiant Boli plures.

Bolus ad Stomachum roborandum.

℞. Conſervæ Roſarum ʒ. j ß.
Confectionis de Hyacintho, ʒ. j.
Corallii rubri præparati,
Oculorum Cancri fluviatilis, ana, ℈. j.
Miſce, fiat Bolus.

Bolus ad alvi fluxum.

℞. Conſervæ Balauſtiorum, ʒ. ij.
Corallii rubri præparati
Terræ ſigillatæ, ana ℈. j.
Fiant Boli plures.

Bolus ad vires reſtaurandas.

℞. Conſervæ Florum Bugloſſæ, ʒ. j. ſs.
Confectionis Alkermes, ʒ. j.
Pulveris Viperarum, gr. xv.
Miſce, fiant Boli.

Imo non raro fit ex terebinthina bolus ad detergenda proſtatarum ulcera efficax.

℞. Terebinthinæ Venetæ, ʒ. j. aut ʒ. j ſs.
Solvatur cum Ovi vitello, adde
Pulveris Liquiritiæ ſufficientem quantitatem.
Fiat Bolus.

3. OPIATA olim ab opio ſic dicta fuit, quia nulla erat opiata abſque opio; nunc vero eſt medicamentum molle, ſed bolo durius, ex *pulveribus*, *conſervis*, *ſyrupis* paratum ad aliquot doſes, ſine opio: *alterans* eſt ſimpliciter, ſi ex ſolis alterantibus; *purgans* ſimul & *alterans*, ſi ex utroque una componatur; ut opiata ſequens ad obſtructiones reſerandas plurimum efficax.

℞. Croci Martis aper. ror. Maial. præp. ʒ. iij.
Sennæ
Rhei pulveratorum, ana ʒ. j.
Salis Abſinthii, ʒ. j.
Caſſiæ ligneæ pulveratæ, ℈. ij.
Miſce cum Syrupo de Cichoreo compoſito: fiat Opiata cujus æger capiat ʒ. j. aut ℈. iv. mane jejuno ventriculo.

Hæc opiata convenit in *chloroſi*, *viſcerum obſtructionibus*, *ad febres intermittentes ſedandas*, quoties per intervalla redeunt, nihilominus tamen in his etiam morbis non eadem ſemper præſcribitur; poſſunt, imo debent ſæpiſſime fieri variæ formulæ opiatæ aperientis juxta ætatem, temperamentum ægri, morborum complicationem, & hæc omnia diverſa remedia appetunt, modo nempe fortiora, modo mitiora, ſed quæcumque præſcribantur opiatæ aperientes, remedia univerſalia, ut felicius ſuccedant, ſunt præmittenda.

Opiata aperiens & hydragoga.

℞. Limaturæ Ferri rubiginoſæ, ʒ. ſs.
Millepedum in clibano exſiccatorum,
Rhei, ana, ʒ. ij.
Jalappæ
Salis Tamariſci, ana, ʒ. j ʒ.
Scammonii, gr. ix.

Cum

Cum Syrupo Roſarum ſolutivarum compoſito, fiat Opiata, cujus æger capiat ʒ. j. aut ʒ ß. mane jejuno ventriculo.

Hæc opiata ſanguinem ſpiſſum potenter ſolvit, luxurians ſerum, per alvum & urinas aliquando copioſe eliminat, ſolida acriter pungit, & ſtimulat; prodeſt ergo in *aſcite*, & quacumque *hydropis* ſpecie, ab humorum viſciditate, & ſpiſſitudine ſuſtentata: Continuatur per dies IX vel X. deinde juſculum cichoreo & foliis Borraginis alteratum modo ſolito aſſumendum.

Opiata ſtomachum roborans.

℞. Conſervæ Abſinthii minoris, ʒ. j.
Corallii rubri præparati,
Oculorum Cancri fluviatilis,
Chinæ Chinæ, ana, ʒ. iij.
Salis Abſinthii
Rhabarbari electi, ana, ʒ. ij.
Cum Syrupo de Roſis ſiccis fiat Opiata de qua capiat ʒ. j. aut ʒ. j. ß. per novem dies, ſuperbibendo parum Aquæ Cichorei, aut vini generoſi.

Alia ejuſdem indicationis.

℞. Cancrorum fluviat. in clibano exſiccat.
Corticis Aurantiorum vel Citreorum,
Raſuræ cornu Cervi, ana ʒ ß.
Salis Abſinthii
Rhej, ana, ʒ. ij.
Cum Syrupo de Abſinthio fiat Opiata ut ſupra exhibenda:

Hæc ad plures dies, & quandoque bis in die, ſcro nempe & mane præſcribuntur opiatæ; ad vigorandum ſtomachum, & coctionem juvandam mirifice conducunt; adeoque in pluribus morbis chronicis, qui a læſa digeſtione, aut producuntur, aut foventur, conveniunt quamplurimum. *Conſervis* vero, & *Extractis* ad earum confectionem utimur, quia, quam medicamenta liquida, hæ magis in ſtomacho remorantur.

Opiata ad alvi fluxum.

℞. Conſervarum Roſarum
Symphyti majoris, ana, ʒ j ß.
Corallii rubri præparati,
Terræ ſigillatæ, ana, ʒ. ij.
Cum Syrupo Cydoniorum, vel de Roſis ſiccis fiat Opiata, de qua capiat ʒ. j. aut ʒ j ß. ſingulis diebus per IX dies, ſuperbibendo parum aquæ Plantaginis.

Opiata absorbens ad humorum acrimoniam demulcendam.

℞. Oculorum Cancri fluviatilis,
Corallii rubri præparati, ana ʒ ß.
Chinæ Chinæ,
Rhei electi, ana ʒ. ij.
Cum Syrupo de Rosis siccis fiat Opiata, quæ præscribitur in lactis usu, ipsiusque dosis ut supra.

Opiata Cancro dicata.

℞. Corallii rubri præparati,
Cornu Cervi,
Chinæ Chinæ, ana ʒ ß.
Oculorum Cancri fluviatilis,
Plumbi usti, ana ʒ. j.
Cum Syrupo Nymphææ fiat Opiata ad ʒ. j. sumenda.

Opiata antiepileptica.

℞. Cancrorum fluviatilium exsiccatorum,
Radicis Pœoniæ maris
Chinæ Chinæ, ana ʒ. ß.
Rhabarbari electi,
Rasuræ Eboris, ana ʒ. ij.
Cum Syrupo Lilii convallium fiat Opiata ad ʒ. j. aut ʒ. jj. sumenda.

Opiata adstringens.

℞. Conservarum Rosarum rubrarum, ʒ ß.
Balaustiarum, ʒ. iij.
Terræ Lemniæ
Sanguinis Draconis veri, ana ʒ, ij.
Boli Armenæ
Hypocistidis
Aluminis, ana ʒ. j.
Cum sufficienti quantitate Syrupi de Rosis siccis fiat Opiata ad ʒ. j. sumenda.

Hæc opiata per tres aut quatuor dies, bis in die, sumitur, sero nempe, & mane, addita dosi convenienti laudani, quod virtutem astringentem non parum juvat; convenit in sanguinis sputo, in fluxu hepatico, omnique hæmorrhagia, in evacuatione quacumque excedente, adeoque sæpissime in usum adhibetur.

Opiata Neapolitana.

℞. Ligni Sancti,
Radicum Salsæparillæ,
Chinæ, ana, ʒ ß.
Rhabarbari electi

Sen-

Sennæ mundatæ, ana, ʒ. ij.
Jalappæ,
Aquilæ albæ, ana, ʒ. j ß.
Scammonii, ℈. j.

Cum Syrupo Roſarum ſolutivo fiat Opiata per tres hebdomadas alternis diebus mane jejuno ventriculo ad ʒ. j. aut ʒ. ij. ſumenda.

Hæc opiata adhibetur in gonorrhoea virulenta, diu nimis perſeverante, aliiſque morbis ejuſdem ſpeciei.

Notandum opiatas aliquando ita indurari, cum ad plures dies præſcribuntur, ut ventriculum gravent; quare ſatius eſt, pauciores doſes qualibet vice parare, pluries iterando, prout Medico viſum fuerit, eamdem opiatæ formulam continuare: imo præſtat aliquando pulveres conſervis mixtos opiatis præferre, quia ſolent in ventriculo facilius diſſolvi, & per vias chyliferas in totum corpus promptius diſtribui.

4. PILULÆ, ſeu Catapotia remedia ſunt forma ſolida & rotunda, opiata duriora ex ſpeciebus variis, *ſyrupo* nempe, *melle* &c. compoſita; plerumque officinales ſunt, ut *pilulæ aureæ*, *cynogloſſi*, *fœtidæ* &c. de quibus Pharmacopeæ conſulantur; ſolent tamen aliquando *pilulæ magiſtrales* componi, vel ad purgandum, vel ad varie alterandum, circa quarum uſum, plurima varietas obſervatur, cum aliæ ſtomachum roborent, aliæ ſudorem moveant, expectorationem juvent aliæ: ſunt & aliæ quæ ſunt communiores, potenter adſtringunt in alvi fluxu, aut diarrhœa contumaci.

Pilulæ purgantes.

℞. Aquilæ albæ rite præparatæ, ℈ j.
Jalappæ, gr. xv.

Cum pauco conſervæ Roſarum fiant Pilulæ quæ dentur mane.

Aliæ efficaciores hydropi convenientes.

℞. Sennæ mundatæ, ʒ ß.
Rhei electi, ʒ. ij. ß.
Jalappæ,
Cremoris Tartari, ana, ʒ. ij.

Fiat omnium pulvis & cum Syrupi Roſarum ſolutivi compoſiti ſufficienti quantitate maſſa pilularis, è cujus ʒ. j. formentur Pilulæ iv. aut v. devorandæ bis in hebdomada.

Pilulæ hydropi maximo dicatæ.

℞. Elaterii, gr. v.
Salis Tartari ℈ ß.

Cum pauco Conſervæ Roſarum fiat Pilula quæ detur mane.

Aliæ hydragogæ.

℞. Fæcularum Iridis, ℈. j.
Elaterii,

Ja-

Jalappæ, ana, gr. viij.
Cum ſufficienti quantitate Syrupi de Rhamno cathartico fiant pilulæ iij. aut iv. mane devorandæ.

Aliæ emeticæ.

℞. Pulveris Algaroth, gr. iij.
Diacrydii, gr. vj.
Cum pauco conſervæ Roſarum fiat Pilula mane devoranda.

Pilulæ antivenereæ.

℞. Hydrargyri rite defæcati cum Terebinthina extincti, ʒ. j ß.
Rhabarbari electi,
Sennæ mundatæ, ana ʒ. iij.
Scammonii, ℈. iv.
Cum Syrupo de Cichoreo compoſito fiat maſſa pilularis de qua ʒ. j. capiat per iv. aut v. dies mane.

Aliæ ad inveteratam gonorrhœam.

℞. Æthiopis mineralis, ʒ. j. ß.
Rhei electi
Karabe, ana, ʒ. ij.
Cum Syrupo de Cichoreo compoſito, fiat maſſa pilularis cujus ʒ. j. formetur in pilulas iv. aut v. mane devorandas & iterandas bis in hebdomada per ij. aut iij. menſes.

Pilulæ efficaciſſimæ ante cœnam uſurpandæ.

℞. Aloes optimæ ſucco roſarum nutritæ, ʒ. j.
Rhei electi, ʒ. ß.
Salis Abſinthii, ʒ. iij.
Cum Syrupo de Cichoreo compoſito fiat maſſa pilularis de qua ℈ ij. formentur in pilulas iv. aut v. quæ auro cooperiantur & ante cœnam bis aut ter in hebdomada per menſem devorentur.

Pilulæ adſtringentes.

℞. Sanguinis Draconis veri,
Terræ Lemniæ,
Boli Armenæ, ana ʒ. j.
Balauſtiarum
Malicorii,
Aluminis rupei, ana, ʒ. ß.
Pulverata excipiantur cum ſufficienti quantitate ſucci Hypociſtidis; fiat maſſa pilularis, doſis erit ʒ. j.

Pilulæ hyſtericæ.

℞. Chinæ Chinæ in alcohol redactæ,

Radicis Valerianæ, ana, ℥. iij.
Aſſæ fœtidæ,
Cinnamomi
Caſtorei, ana ℈. ij.
Ambræ cineritiæ gr. iv.

Cum ſufficienti quantitate Syrupi Abſinthii fiat maſſa pilularis; doſis erit a ℥. ß. ad ℥. j.

5°. TABELLÆ ſic a figura dictæ, medicamenta ſunt ſolida, plana, ex *pulveribus*, & *ſaccharo* præparata; pulveres ex quibus fiunt ſunt mere terreſtres, ut *Corallia*, *perlæ*, &c. & in minori quantitate miſcentur; vel ſunt gummoſi, vel reſinoſi, & in majori copia, ſaccharo cocto adduntur, unde præparatio variat; ea tamen proportio eſſe debet pulveris ad ſaccharum, ut pro unica uncia ſacchari, ſit circiter drachma una pulveris; tabellæ vel purgantes ſunt, ſi ex purgantibus, ut ſequentes.

℞. Rhabarbari electi pulverati, ℥. iij.
Pulveris Jalappæ, ℥. j.
Sacchari in Aqua Cichorei ſoluti & denuo inſpiſſati, ℥. iij.

Coque ad debitam conſiſtentiam; fiant tabellæ quæ ad pueros purgandos uſurpantur, quorum ætas improvida ſacchari lenocinio ludificatur.

Vel alterantes quæ ex alterantibus fiunt, ſic.

Tabellæ lenientes in tuſſi vehementi & humorum acrimonia.

℞. Pulpæ radicis Althææ in decocto
Conſolidæ majoris coctæ, ℥. viij.

Adde Sacchari optimi ℔. j.

Coque cum ſufficienti quantitate Aquæ Hordei ad debitam conſiſtentiam, ut fiant Tabellæ quarum ℥. j. aut ij. in ore teneat ſæviente tuſſi.

Tabellæ detergentes in aſthmate & ulcere pulmonum.

℞. Florum Sulphuris, ℥. ß.
Benzoini, ℥. ij.
Sacchari optimi, ℥. iij.

Cum Aqua Hordei coque ad debitam conſiſtentiam; fiant tabellæ ponderis ℥. j. unamque in ore teneat.

Tabellæ aperientes.

℞. Limaturæ Ferri rubiginoſæ ℥. iij.
Reſinæ Jalappæ, ℥. j.
Sacchari optimi, ℥. iv.

Fiant Tabellæ cum mucilagine gummi Tragacanthæ ponderis ℥. j. ß. quarum duas capiat mane jejuno ventriculo, ſuperbibendo juſculum foliis Agrimoniæ & Cichorei alteratum, deambulando poſtea per horam, & continuando per ix. dies.

Tabellæ vitæ ad vires reſtaurandas in ſenibus & convaleſcentibus.

℞. Confectionis Alkermes, ʒ ß.
Ambræ
Moſchi, ana, ʒ. ij.
Sacchari ad debitam conſiſtent. cocti. ℔. j.
Fiant tabellæ ponderis ʒ. j. unamque capiat mane jejunio ventriculo & continuetur uſus.

Verum jam rarioris uſus tabellæ ſunt, quia quantitas nimia ſacchari, quo turgent, ſtomachum ſubvertit, depravatque; quo circa dantur tantum infantibus, qui ceteras remediorum formas reſpuunt, & adultis, quibus dulciariis opus eſt, ad expectorationem juvandam.

SECTIO SECUNDA.

De Compoſitione Medicamentorum externorum.

QUemadmodum interna, ſic quoque remedia externa, tum liquida, tum ſolida forma præſcribuntur, unde

§. I.

De compoſitione medicamentorum externorum quæ ſub forma liquida ſunt.

Tria ſunt in hunc cenſum revocanda, *Fotus* ſcilicet, *Balneum*, & *Linimentum*, de quibus in ſequentibus.

1°. FOTUS eſt medicamentum liquidum, quo variæ corporis partes pro varia indicatione tepide foventur; paratur quandoque ex *lacte*, *oxycrato*, ex *vino rubro*, ex *aqua calcis*, &c. pro diverſo ſcopo cui deſtinatur; ac plerumque componitur ex decocto plantarum in aqua communi, aut aqua fabrorum, cui ſub coctionis finem additur tertia, aut quarta pars vini, tantillum aceti, prout Medico varie viſum eſt.

Fotus utilis eſt ad temperandum æſtum, ad demulcendum dolorem, ad relaxandas partes nimis tenſas, ad emolliendas quæ duriores, ad adſtringendas quæ relaxantur, prout varie componitur; applicatur lateri dolenti, hypochondriis tumentibus; abdomini tenſo, ex *meteoriſmo*, ſcroto aqua inhærente tumefacto, utero aut recto extrorſum prolapſis.

Fotus emolliens & refrigerans ad viſcerum obſtructiones, duritiem & ardorem.

℞. Radicum Althææ
Lapathi acuti, ana, ʒ. iv.
Foliorum Borraginis,

Malvæ,
Violarum
Lactucæ, ana, m. j.
Seminis Lini, ʒ. j.
Florum Chamæmeli,
Meliloti, ana, pug. ij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. iij. In colatura dissolve
Aceti optimi, ʒ. iv.
Fiat fotus, quo foveatur tantum abdomen & præcipue regio hypochondriaca tepide cum pannis & linteis eo imbutis ob tempestatis ingentem calorem.

In lecto ægrotans debet foveri, ne frigore aeris externi afficiatur, & *rheumatismus*, *catharrus*, aut quædam alia fluxio eum exerceat.

Fotus magis emolliens in schirro viscerum imi ventris.

℞. Radicum Liliorum
Althææ, ana, ʒ. iij.
Bryoniæ, ʒ. ij.
Foliorum Malvæ
Brancæ ursinæ
Violarum,
Acetosæ, ana, m. ij.
Seminum Lini
Fœnugræci, ana, ʒ. j.
Florum Chamæmeli,
Meliloti, ana, pug. ij.
Coque ad ℔. ij; in colatura dissolve
Aceti optimi ʒ. iv; fiat fotus.

Fotus refrigerans in viscerum ardore & paroxysmo febrili.

℞ Foliorum Acetosæ
Borraginis
Cichorei, ana, m. ij.
Florum Papaveris rhœados
Nymphææ, ana, m. j.
Coque ad ℔. iij: in colatura dissolve optimi Aceti ʒ. iv; fiat fotus.

Aliquando fotus refrigerantes fiunt ex solo oxycrate; in priapismo fovetur penis cum acqua gelida, aut cum oxycreato, in quo parum salis Saturni fuerit dissolutum; olim santalum citrinum ad ʒ. j. præscribebatur in omnibus fotibus ad viscera roboranda, sed irrito successu, ideo debet negligi.

Fotus refrigerans ex aquis stillatitiis in ingenti viscerum ardore.

℞. Aquarum Buglossæ
Cichorei, ana, ℔. j ß.
Oxycrati optimi, ʒ. iv.
Misce, fiat fotus,

Præ-

Præscribuntur etiam fotus ad resolvendos humores alienæ parti impactos; sæpissime ad crura œdematosa hydrope laborantium, ex decocto herbarum calidarum.

Fotus resolvens in œdemate tibiarum.

℞. Radicum Galangæ
Ireos florentinæ, ana, ℥. iij.
Foliorum Menthæ
Salviæ
Majoranæ
Scordii, ana, m. j ß.
Seminum Anisi,
Fœniculi, ana, ʒ. j ß.
Florum Stœchados, m. j.
Coque in aqua fontana & aliquando in vino generoso ad ℔. iij.; coletur hoc decoctum; foveantur tibiæ & crura bis aut ter in die.

Sæpissime vero fotu ex aqua vitæ camphorata, ad œdemata tibiarum utimur, imminente præsertim gangrænæ periculo, & sic non solum foventur, sed lintea in ea imbibita & madida ipsis imponuntur.

Fotus ad fluxionem in testiculum a gonorrhœæ virulentæ suppressione.

℞. Radicum Ireos florentinæ
Liliorum, ana, ℥. iij.
Florum Chamæmeli,
Meliloti, ana, m. j.
Coque ad ℔. iij. in Vino rubro: Coletur Decoctum.

Hoc decocto non solum sæpe foveantur testiculi in die, donec inflammatio sedata fuerit, sed & quoque debent illud immergi per horam in vase vitreo cucurbitulis simili.

Fotus ad hæmorrhoides.

℞. Foliorum Malvæ
Verbasci, ana, m. ij.
Coque in Aquæ fontanæ ℔. iij. fiat fotus.

Hoc decocto ad hæmorrhoides fovendas & pro incessu utatur.

2°. BALNEUM est remedium externum, quod præscribitur ad refrigerandum, humectandum, leniendum, in *viscerum doloribus*, in *melancholia hypochondriaca*, in *mania*, & *febre lenta*, in *tussi molesta* & *rebelli* in *scabie*; in *sine gonorrhœæ virulentæ*, in *colico dolore*, in *nephritide*, & *urinæ suppressione*, in *Ileo*, in *lienis* & *hepatis schirro*, & valet ad omnes effectus in quibus sanguinis motus compescendus, viscerum ardor extinguendus, humores acres diluendi & mitigandi, spirituum impetus coercendus, partium squallor corrigenda, & duricies & schirri imi ventris emolliendi sunt; inservit etiam ad humores venereos mitigandos, simul & humectandos, & dydrargyro præmittitur Balneum, ut melius succedat.

Notandum eſt quod in *mania* Balneum ad collum uſque ſit inſtituendum, & dum in dolio ſedet æger, totum eſt irrigandum caput, ut ipſius ardor & effrenati ſpirituum motus coerceri poſſint; niſi præmiſſis præmittendis, non inſtituendum eſt Balneum, qualia ſunt væ ſectio, cathartica, quædam remedia refrigerantia, ſi opus ſit, ne a pravis ſuccis in ſanguine luxuriantibus magis exagitentur & excandeſcant humores, maxime ſi ſint expediti, nimiaque copia; a balneo enim liquantur, & eorum halitus, qui tranſpiratione expirare debent, occluſis ab aqua cutis ſpiraculis, retinentur; hi autem volatiles ſunt, & ſale acri & mordaci ſaturati, maſſæ ſanguineæ motum augent, febremque accedunt: unde fit, ut febribus continuis pernicioſiſſimum ſit Balneum, licet in illis refrigerandi ſit locus; nam ab eo prohibita tranſpiratione, febris ardentior evaderet; ob eamdem rationem raro ſuccedit Balneum, iis quibus ſanguis & viſcera ardent, ſuntque intemperata; accidit etiam ut ejus uſu vel febre continua, vel intermittente corripiantur; hinc eſt quod caute Balneum ſit præſcribendum.

Duplex eſt Balneum, integrum ſcilicet & ſemicupium; in Balneo integro, totum corpus ad collum uſque immergitur in aqua; verum in ſemicupio ad cartilaginem uſque xiphoideam; Et ſi crura aut tibiæ ſint *œdematoſæ*, aut *ulceribus ſtipatæ*, aut *rheumatiſmo*, aut *arthritide* correptæ, extra dolium poſitæ linteis vel panno teguntur; toto Balnei tempore vel juſcula refrigerantia, vel ſerum lactis, vel cremor hordei præſcribuntur ægrotanti, in dolio ſedenti exhibentur; ſed raro in Balneo cremores hordei ſunt uſurpandi, ob viſcidam & craſſam eorum indolem, ſulphure pingueſcentem, & ideo humores nimis inſpiſſando, aceſcunt in ſtomacho, cruditateſque gignuntur & producuntur.

Formula Balnei ſit;

Utatur Balneo aquæ fontanæ vel fluviatilis tepefactæ per XII. aut XV. dies mane, & in ea manebit ſingulis vicibus per horam aut ſemihoram.

Aliquando præſcribitur bis in die in melancholicis, in ingenti hypochondriorum æſtu, in nephritide, in colico dolore & ad hydrargyroſim præparationis cauſa; dum ſumitur juſculum aut ſerum lactis, hoc modo præſcribitur.

Balneum aquæ dulcis tepidæ per XII. dies mane ingrediatur, in eaque per horam ſemi morabitur; in dolio ſedens, ſumat juſculum cichoreo, borragine, lactuca, aliiſque refrigerantibus alteratum vel ſerum lactis.

Dum pectus ægrotat, ut in phthiſicis, aſthmaticis, tuſſiculoſis, qui Balneum integrum ferre nequeunt, ſemicupium tantum uſurpabitur; nam impedita tranſpiratione, pulmones incandeſcunt, & replentur, oppreſſione & tuſſi exacerbantur.

Convenit ſemicupium in colico dolore bilioſo, in ileo, nephritide, urinæ ſuppreſſione, tum vitio renum, tum veſicæ, in iis enim affectibus ſatis eſt viſcera imi ventris, cruoremque temperare, ejus impetum coercere & partium dolorem demulcere; dum Balneum fluminis eſt uſurpandum, ſic præſcribitur.

Per XII. dies Balneo fluminis, circa horam quintam veſpertinam, utatur, donec frigore horreſcere incipiat corpus.

Aliquando ex decocto herbarum, præſcribitur Balneum ad emol-

lien-

liendum & refrigerandum in hepatis ſchirro, lienis, meſenterii & uteri, ex radicibus, foliis, ſeminibus, fructibus, & floribus, ea quantitate ut radices ad ℔. IV. coquantur: folia ad faſciculos iij. ſemina ad ℔. iij. flores ad manipula VI. componitur ſic.

℞. Radicum Althææ
Liliorum, ana, ℔. ij.
Foliorum Malvæ
Parietariæ
Brancæ urſinæ, ana, faſcicul. ß.
Seminum Fœnugræci
Lini in ſacculo incluſi, ana, ℔. j. ß.

Coque omnia pro ſemicupio quod ægrotans ingrediatur mane per viij vel IX. dies ſemel in quolibet: ſed raro farraginem illam ſimplicium in ſemicupio præſcribimus; ſed tantum decoctum Althææ, florum Malvæ & Violarum.

Frequentiſſime etiam præſcribitur Balneum emolliens in nephritide, & in colico dolore bilioſo, ſed irrito ſucceſſu; nam utpote craſſius, ad partes internas penetrare ob craſſitiem & viſciditatem non poteſt, ſed cuti cohærens, poros occludit, & tranſpirationem impedit; Balneo ex ſola aqua dulci, internas partes magis temperante, caloremque leniente, uti ſatius eſt.

Aliquando ex oxycrato, in ingenti viſcerum ardore, paratur Balneum; nonnulli præſcribunt id ex lacte ad conciliandum dulcorem, & ad pruritum moleſtum ſedandum: aliqui ex ſanguine taurino ad ſcabiem & Elephantiaſim, ſed irrito prorſus ſucceſſu: ſanguinis vis, ſi qua pollet ad hos affectus domandos, cum parte ejus volatiliori, ſtatim ac hic humor ex animalis venis eductus eſt, evaneſcit.

Conveniunt in genere Balneum & ſemicupium omnibus affectibus, ab humore calido & acri genitis, in doloribus imi ventris, hæmorrhoidalibus; & menſium erumpentium, quod ſæpiſſime accidit puellis & mulieribus obſtructione uteri laborantibus, quæ aliquot diebus ante menſium eruptionem ob vias impeditas, dira tormina patiuntur, & tunc ad umbilicum uſque in Balneum ſunt immergendæ.

Non ſolum aquæ dulcis, ſed quoque marinæ, & aquarum thermalium Balneis utimur: aquarum autem thermalium & marinæ balneum valet ad *arthritidem*, *rheumatiſmum*, poſtquam dolores remiſerunt, & ſedata eſt fluxio: ad diſcutiendam materiem craſſiorem partibus impactam, & ad eam in venis ſtagnantem per ſudorem proliciendam.

Si dolores plures articulos occupent, tum partium ſuperiorum, tum inferiorum, vel totum corporis habitum affligant, Balneum integrum uſurpandum.

Si vero dolores partem aliquam tantum afficiant, ſemicupium tantum inſtituendum, vel partis affectæ tantum Balneum, vel brachii, vel tibiæ.

Quando ſummopere æſtuant ſanguis & viſcera, Balneo integro caute utendum eſt, ne magis incandeſcant humores, ſed particulare tantum præſcribimus, ne nimis compreſſum ſit corpus, nimioque ſero diffluat, quo in caſu in Balneum tepidum, potius quam calidum immittatur æger, diuque in eo ſedeat, exhibebitur ipſi juſculum pulli gallinacei ex herbis refrigerantibus alteratum: ſic Balneum integrum.

Balneo aquarum Borbonienſium per VIII. vel X. dies, mane & veſpere

ſpere hora 4a, vel 5a. utetur, in eoque morabitur, donec ſudore e facie guttatim ſtillet, & rubor ingens in eo appareat; in Balnei egreſſu ſudabit in lecto, & more ſolito, linteis calidis detergatur ſudor.

Non ſolum ad *arthritidem* & *rheumatiſmum* præſcribitur aquarum thermalium Balneum, ſed ad *tremorem*, *paralyſim & ſtuporem membrorum*, & *ad omnes artuum languores*, ad *ulcera inveterata*, & ad *partium contractionem*.

Irrigatio capitis, omnibus ipſius affectibus tum externis, tum internis, præcipue ab humore ſeroſo ortis, convenit, *apoplexiæ* poſt paroxyſmum, *epilepſiæ*, *paralyſi*, *catharris*, omnibus externis, *dentium doloribus*, *ſurditati*, *gravi auditui*, *capitis frigori moleſto*, *ophthalmiæ contumaci*, & *maculis oculorum ſtipatæ*, *Epiphoræ*, *ſuffuſioni incipienti*, *guttæ ſerenæ incipienti*, *tineæ*, *doloribus colli*, & ſimilibus; modus præſcribendus, ſic.

Aquis thermalibus Bellilucanæ, vel Borbonienſibus per VI. aut VIII. dies irrigetur caput, ſemel in die, ut moris eſt perſequi per horæ quadrantem circum circa, & linteis calidis exſiccabitur caput.

Aquæ thermales præſcribuntur pro potu ordinario in *viſcerum obſtructionibus*, *ſtomachi debilitate* nata, vel ab humore pituitoſo & craſſo, vel acido in ipſum rejecto; vel a fibrarum nimia relaxatione, orta vel a cibo copioſe aſſumpto, vel a potu immoderato: ab iis enim craſſi & viſcidi, in acinis glandulosis impacti, & quaſi innati inciduntur humores, attenuantur, abraduntur, & humoribus ſuperfluis, quibus ſanguis inficitur per ductus mox datur exitus: tales ſunt aquæ BORBONIENSES, BAGNOLENSES, DE LAMOTHE *in Delphinatu*, *aquæ d'*AIX * *in Sabaudia*, DE BAGNERES, & aliæ ejuſmodi, ut videre eſt in Libro *Domini Duclos*, qui hanc partem coluit.

Parum proſunt in obſtructis viſceribus aquæ noſtræ BELLILUCANÆ, & vix per urinas excernuntur, ſed per feceſſum agunt: idcirco valent potiſſimum ad *ſtomachum*, & *inteſtina evacuanda*, *robur ipſis conciliandum in appetitu dejecto*, *in coctione læſa*, *in vomitu & ſingultu*, *in ructu acido & nidoroſo*, *in cardialgia*, *in colicis doloribus*, aliiſque ſimilibus affectibus ſtomachum exercentibus; aquæ etiam illæ, multo ſale communi imbutæ, vix vaſa lactea ſubire queunt, & ad vaſa ſanguifera provenire, propter ſubſtantiæ craſſitiem, & acrimoniam qua membranas ſtomachi & inteſtinorum vellicando, ad feceſſum præcipitantur, deturbantur; multum etiam vermibus enecandis opitulantur.

Mineralia quæ thermæ obtinent, experimentis multoties repetitis, ſunt nota; ut plerique putant *vitriolum*, *alumen*, *nitrum*, *ſulphur*, *ſalia*que ejuſmodi quæ proſtant in officinis, & quæ aquæ *nitroſæ* aut *ſulphuratæ*, aut *vitriolatæ* dicuntur, nec vitriolo aut nitro imbutæ ſunt; ſed potius, *ſalibus terræ fixis*, quæ quamdam cum *tartaro*, aut potius cum *ſale alcalino nitroſo* habent analogiam: *Salia* illa *fixa* modo *in cryſtallos* abeunt, poſt levem evaporationem; modo *in fundo vaſis* remanent, facta humiditatis diſſipatione.

Salia fixa non ſolum continent *aquæ thermales*, ſed inſuper terras aliquas Bolo non abſimiles, quæ a præterlabentibus aquis cum ſalibus abraduntur, diſſolvuntur, & abripiuntur.

Præter ſalia & terram, ineſt *pars volatilis* & *ſpirituoſa*, quæ nulla arte,

* Aquæ Gratianæ dicuntur a Cel. Fantono: & de iis ejus Opuſcula conſulantur.

arte, diſtillatione, vel præcipitatione ſiſti poteſt, ſed tota abit in auras; ideoque non patet ejus natura, quamvis in ea ejus præcipuæ dotes conſtent; ea enim evaneſcente, illæ vapidæ, & effœtæ fiunt, & parum proſunt.

Sale communi ſcatent aquæ BELLILUCANÆ, ea proportione ut ℔. j. aquæ, hujus ſalis ʒ. j. contineat parumque terræ; hæc cum ita ſint, maximus eſt aquarum thermalium in morbis chronicis uſus, imo & neceſſarius: propterea quod *Sale fixo*, quo imprægnatæ ſunt, partes ſulphureas quæ ſunt in viſceribus abripere, & per ductus proprios dejicere valent, & præterea quidquid in ſanguine ſalinum eſt, diſſolvunt, & per urinas deducunt.

Aquæ Borbonienſes.

Bibat aquas Borbonienſes per IX. dies mane, eaſque hauriat partitis vicibus, iiſque rejectis, capiat juſculum ex pullo gallinaceo, vel ex fruſtulo carnis vitulinæ confectum, & tribus poſt horis prandeat, ut ſolet; purgabitur in principio & in fine.

Aquæ Bellilucanæ.

Bibat aquas Bellilucanas per tres dies, raro per VI. & non ultra, iis qui ſumma ſtomachi debilitate, & imbecillitate laborant, iiſque, quibus maxima ſucci viſcidi & bilioſi copia in eo & inteſtinis ſtabulatur, præſcribuntur.

Pro potu præſcribuntur *aquæ acidulæ, ad viſcerum ardorem temperandum, ad obſtructiones reſerandas, ad renes in calculoſis eluendos, ad ſales* cujuſcumque generis ſint *in vaſis & viſceribus contentos diluendos*, & per ſeceſſum *evacuandos*; valent ergo ad *menſes promovendos & inveteratas hæmorrhoides ſiſtendas, ad dyſenteriam inveteratam* compeſcendam, ad *gonorrhœæ virulentæ reliqua, ad fluorem album, ſtrumas, cancrum, lepram, epilepſiam, maniam, pertinacem ophthalmiam, arthritidem, rheumatiſmum, ad omnia ulcera interna & externa, ad fluxiones*, exceptis pulmonum affectibus, hæmophthiſi, phtiſi & tuberculis.

Mineralia quibus ſcatent *acidulæ*, eadem fere, ac ea quæ in aliis continentur, namque ineſt iis *ſal fixum, terra* quoque & *pars ſpirituoſa* luxuriant *in acidulis* ac *in thermis*; ſed hæc omnia mineralia modo majori, modo minori quantitate, in aquis mineralibus diſſolvuntur; quo fit, ut aliæ aliis majori efficacia ſint præditæ, prout magis vel minus ſaturatæ ſunt.

Aquæ minerales efficaciſſimæ, quibus *magno cum ſucceſſu in regione* utimur, ſunt VALLENSES, VICENSES, CAMARENSES; minus efficaces ſunt DE JOYEUSE, DE POMARET, DE LODEVE &c; hæ ſunt proprie minerales, ſed fontanæ maxime tenues, quæ miræ ſunt efficaciæ ad *viſcerum ardorem, ſanguinis fervorem, humorum ſalſedinem, alioſque effectus ad languorem vergentes*, alteriſque corporibus in quibus intemperata ſunt ſanguis & viſcera, ſed non ſaturatæ, & ob id *cancro* dicata ſunt, *lepræ, ſtrumis & herpetibus, maraſmo & febri lentæ*, a pulmonum labe non provenienti.

Aquæ

Aquæ Vallenſes.

Bibat v. g. aquas Vallenſes per x. aut XII. dies mane a fonte *la Marquiſe*, ejuſque hauriat cyathos XV. partitis vicibus intra horam aut ſemi, hiſque per ſeceſſum aut urinas rejectis, juſculum, ut moris eſt, ſumat.

Ante & poſt uſum aquarum, purgabitur cathartico convenienti: per duas aut tres hebdomadas in *affectibus contumaciſſimis*, aut *in obſtructionibus viſcerum inveteratis*, in *febre quartana*, *chloroſi*, *ictero* uſurpari poſſunt; tum poſt unamquamque exhibebitur purgatio, & *interjecta* quarta aut quinta dierum *quiete*.

In vico DE VALS, *quatuor ſunt fontes*, *ſcilicet* LA MARQUISE, LA MARIE, LA SAINT JEAN & LA DOMINIQUE.

LA SAINT JEAN *cortinet plus ſalis*, ſtomachoque *gratior eſt*, quam LA MARQUISE; hic plus ſalis quam LA MARIE, cujus potius per urinas, quam per ſeceſſum evacuatur aqua.

In earum aquarum potu, ii quibus debilis eſt ſtomachus, ſumant *ſingulis diebus* mane IV. aut V. cyathos *e fonte* la SAINTE JEAN, & ſequentes alios de LA MARQUISE: calculoſi bibant tres ultimos dies de LA MARQUISE, ad renes expurgandos.

LA DOMINIQUE eſt quartus Vallenſis fons, qui, ob *vitriolum* quod continet, vomitum excitat, & raro, niſi *a quartanis inveteratis*, & *ictero contumace affectis*, uſurpatur.

Aquæ thermales ad ulcerum ſordidiſſimorum exſiccationem, lotione, injectione uſurpatæ, valent; mirifice proſunt, ad membra quoque *luxata*, aut *fracta*, firmanda, in eis immerſa per aliquot dies: non ſolum irrigatio capitis ad affectus caput exercentes, ſed & aliarum partium; dum corpus ob nimium ardorem, balneum ſuſtinere non volet: idcirco, dorſum, & coxa, doloribus affecta, ſæpiſſime irrigantur.

Sunt quædam aquæ minerales, in quibus ſudor elicitur, non ſolum balneo, ſed ſtupha etiam in qua ſolo aquæ halitu, lotum corpus ſudore diffluit; in exitu balnei, uſurpari ſolet ſtupha.

Aquarum acidularum balneum vix præſcribitur; ſunt tamen *quædam* apud SEBENNAS, quæ dicuntur *Aquæ* DE FONTSAUCHA prope oppidum, nomine GUISSAC, quæ ad ſcabiem curandam pro balneo in uſu ſunt: utimur quoque ad membra arida, & confracta, humectanda, balneo aquæ præparationis ceræ, & ſæpe cum felici ſucceſſu, modo pars in aquam calidiuſculam, in qua cera fuerit liquata, antequam Soli dealbanda exponatur, immergatur per IX. aut X. dies, ſemel in die, prout recens aut inveteratus fuerit affectus; vere, æſtate, autumnive principio uſurpatur, ſed frequentius vere.

Sunt etiam in uſu autumno vinacia, ad reliquias *rheumatiſmi*, *arthritidis*, *aliarumque fluxionum artus occupatium* reſolvendas, ad *ſtuporem*, & *ad quamcumque imbecillitatem*: nunquam caput, nec collum, nec abdomen in vinacia immittenda, ne in viſceribus excandeſcat ſanguis.

Apud D. DUCLOS aquæ minerales, maxime in Gallia notæ recenſentur cum mineralibus, quibus imbutæ ſunt, reſpectu habito ad aquam.

3°. LINIMENTUM remedium eſt liquidum, quo affectæ corporis par-

partes calide inunguntur. Fiunt linimenta ex *oleis*, *axungiis*, *mucilaginibus*, *ſolis medullis*, ex iiſdem una commixtis, confuſiſque, ex *unguentis officinalibus*, *oleo* aut *butyro* dilutis: uſum habent ad relaxandum & diſcutiendum, ad dolores mitigandos, &c. ſic

℞. Unguenti de Althæa,
Populei, ana ℥. ij.
Olei Lumbricorum terreſtrium
Liliorum ana, ℥. ß.

Simul liquefiant: fiat linimentum quo latus dolens in pleuritide calide inungatut, ſuppoſitis linteis calidis.

Linimentum ad ſcabiem.

℞. Oxylapathi, ℥. vij.
Coque ad putrilaginem; deinde contunde & per ſetaceum trajice: pulpæ trajectæ adde
Styracis liquidæ, ℥. ß.
Succi Limonum ℥. ij.

Cum ſufficienti quantitate Olei roſati fiat linimentum ad corpus illiniendum prope ignem ante lecti ingreſſum.

Aliud.

℞. Florum Sulphuris, ℥. j.
Axungiæ ſuillæ non ſalitæ, ℥. iv.
Olei roſati, quantum ſatis,
Succi e duobus limonibus expreſſi

Agitentur in mortario metallico ad uſum; addi poterit pulpa Oxylapathi ad ℥. iv. & Styrax liquida, ad ℥. ij.

Sed antequam inungatur corpus, vena bis aut ter ſecanda eſt, catharticumque præſcribendum, cum juſculis lenientibus, & pulveris viperarum granis xx. alteratis per ix. dies repetitis, purgato corpore in principio & fine.

Litus ad fugandum lac e mammis.

℞. Axungiæ ſerpentis, ℥. ß.
Butyri veteris, ℥. j ß.

Agitentur ſimul & liquentur ad ignem; dein adde
Succi Menthæ, ℥. j.
Olei Chamæmeli, quantum ſatis.

Fiat litus quo inungantur mammæ ter in die, & linteis calidiuſculis conſtringantur: intra viij. vel ix. dies, lac ab iis evaneſcit.

Id remedium non eſt admittendum, niſi præmiſſa per aliquot dies mammaria ſuctione: idem præſtat chærefolium calefactum ſupra laminam terream oleo roſaceo irroratum.

Alius.

℔. Mellis communis,
Unguenti de Althæa, ana, ℥. ij.
Radicis Ireos Florentinæ pulver. ℥. ß.

Miſce, fiat Litus.

Hoc

Hoc lac in promptu reſolvitur, ſed folia betæ manibus contrectata, ſuperponi debent.

Litus reſolvens ad paralyſim & ad tumores œdematoſos.

℞. Axungiæ ſerpentis,
Humanæ cum Aq. Cinnamomi dilutæ, ana, ℥. ß.
Pyrethri
Zingiberis pulveratorum, ana, ℥. j.
Aniſi,
Fœniculi,
Sinapeos, ana, ℥. j.
Camphoræ, ℥ ß
Cum ſufficienti quantitate Olei Nucis Moſchatæ fiat Litus quo partes affectæ ſero & mane illiniantur.

Alius benignior.

℞. Unguenti Populei, ℥. ij.
Vitelli ovorum recentiorum, num. ij.
Cum Oleo Lini fiat Linimentum.

Litus ad dolores rheumaticos.

℞. Medullæ Bovinæ, ℥, iij.
In ea liquata diſſolve
Camphoræ gr. x.
Laudani Opiati gr. iv.
Fiat Litus.
Partes dolore rheumatico laborantes hoc litu bis in die illiniri oportet per aliquot dies.

Alter ad eumdem ſcopum.

℞. Spiritus Terebinthinæ, partes ij.
Olei Tartari per deliquium facti, partem j. Miſce, fiat Litus.

Linimentum in arthritide laudatum.

℞. Saponis duri in taleolas ſecti, ℔. j.
Liqua ſupra ignem moderatum: vaſe ab eo remoto antequam penitus refrixerit, adde
Spiritus Vini ℥ ij. vel iij.
donec Unguenti conſiſtentiam acquiſierit totum: fiat Linimentum.
Hoc litu illiniendæ ſunt partes, arthritide laborantes, modo dolor prius ceſſaverit; imo in principio paroxyſmi; hoc ad materiam arthritidis dividendam & diſcutiendam utuntur quidam; verumtamen linimentum hoc nocuum eſſe poteſt, quia materia arthritica intus repulſa, partes internas, forſan aggredietur.

§. II.

De compositione medicamentorum externorum quæ sub forma solida sunt.

Hoc titulo comprehenduntur *Cataplasma*, *Emplastrum*, *Vesicatorium*, *Pomata* & *Unguentum*, de quibus sigillatim agendum; nam

1°. CATAPLASMA medicamentum est topicum, submolle, pultis consistentiam æquans, affectis partibus applicandum: componitur plerumque ex *radicibus*, *foliis*, *fructibus*, ad putrilaginem in aqua vel cineribus coctis, in mortario contusis, per setaceum trajectis, quibus *pulveres*, *farinæ*, *agungiæ*, *olea* debita dosi admiscentur.

Cataplasma emolliens, laxans & pus promovens in phlegmone & aliis tumoribus ad suppurationem vergentibus.

℞. Radicum Althææ
Liliorum, ana, ℥. iij.
Foliorum Malvæ
Violarum
Brancæ ursinæ, ana, m. j ʃs.
Florum Chamæmeli
Meliloti, ana, m. ʃs.
Coque in Aquæ fontanæ sufficienti quantitate: deinde contundantur & per setaceum trajiciantur: Pulpæ trajectæ adde
Farinæ seminis Lini, ℥. j.
Olei Liliorum, quantum satis.
Fiat Cataplasma parti affectæ applicandum, & bis aut ter in die renovandum.

Cataplasma discutiens & resolvens in testium tumoribus a sero sanguinis ortis.

℞. Farinæ Fabarum ℔. j.
Coque in Oxymelle: Fiat Cataplasma.

Ex residuo fit sæpe cataplasma, hac formula.

℞. Residuum prædicti decocti
Contunde in mortario marmoreo & per setaceum trajice: pulpæ trajectæ adde
Farinæ Seminis Lini, ℥. j.
Olei Liliorum: quantum satis.
Fat Cataplasma.

Hujusmodi sæpissime præscribuntur cataplasmata, ubi pro aliqua parte indurata instituitur fotus, vel loco suo dimota, atque prolapsa, ut in intestini procidentia in scrotum.

Ad demulcendum dolorem, fiunt cataplasmata e *panis mica cocta*; *vitelli ovorum*, *olea* & *crocus* aliquando adduntur, ad paululum resolvendum.

Cata-

Cataplaſma de mica panis dolores leniens.

℞. Micæ panis albiſſimi, ℥. iv.
Lactis ℥. viij. vel x.
Vitelli Ovorum, num. ij.
Cum Oleo roſarum fiat Cataplaſma: & ſi opus ſit alicujus reſolventis Crocus addatur ad ℥. j ß. in lacte permixtus.

Ubi dolores graviores ſunt, prædicto cataplaſmati *pulpæ hyoſcyami* ſub cineribus coctæ & per ſetaceum aliquando trajectæ tertia addatur pars; & ſolus quoque *hyoſcyamus* cum *oleo roſaceo* vel cum *butyro* componitur, hoc modo:
℞. Foliorum Hyoſciami, m. iv.
Coque, contunde, & per ſetaceum trajice.
adde
Olei roſati, vel Butyri quantum ſatis.
Fiat Cataplaſma.

Illud fluxionibus in gutture & tonſillis mayime & mirifice convenit.

Cataplaſma adſtringens.

℞. Radicum Symphiti majoris, ℥. v.
Biſtortæ, ℥. ij.
Foliorum Burſæ paſtoris, m. iv.
Roſarum rubrarum, m. j.
Coque & per ſetaceum trajice: pulpæ trajectæ adde
Pulveris Roſarum rubrarum, ℥. j.
Fiat cataplaſma.

Cataplaſma reſolvens in œdemate & iſchiadico dolore.

℞. Mellis optimi ℔. ß. impergetur leviter calce viva:
Fiat cataplaſma parti affectæ admovendum.

Aliud.

℞. Luti aquarum thermalium quantum ſatis:
Fiat cataplaſma; tumoribus frigidis, lymphaticis convenit hoc lutum, eoſque aliquando reſolvit.

2°. EMPLASTRUM remedium eſt topicum, cataplaſmate durius, ſed caloris ope extenſibile, quod parti affectæ applicatur ad emollendum, reſolvendum, ſed imprimis ad maturandum. Fiunt emplaſtra ex *pulveribus* variis, *oleo*, *axungia*, *medulla*, *butyro aut mucilagine* dilutis, & una coctis, quibus tandem conſiſtentiam præbet *ceoa*, aut *pix*, aut *reſina*, quæ debita doſi admiſcentur.

Emplaſtra omnia officinalia ſunt, ut *Emplaſtrum Betonicæ*, *diachylum*, *gratiadei*, *ranarum cum mercurio*, &c. Sed aliquando ex officinalibus una commixtis, magiſtralia emplaſtra fiunt.

℞. Em-

℞. Emplaſtri Diachyli
de Spermate Ceti, ana ℥. iij.
Liquefactis adde
Mercurii crudi in terebinth. extinct. ℥. j.
Fiat Emplaſtrum ad bubonem Venereum ſuppurandum efficax.

Emplaſtrum emolliens in tumoribus ſchirroſis qui ægre emolliuntur.

℞. Emplaſtri de Mucaginibus, ℥. ij.
Pulpæ radicis Liliorum, ℥. j.
Cum ſufficienti quantitate Olei Catellorum, aut Lumbricorum fiat Emplaſtrum parti affectæ applicandum.

Emplaſtrum reſolvens.

℞. Emplaſtri Divini
de Vigo quadrupl. Mercur, ana ℥. j.
Gummi Ammoniaci,
Benzoini, ana, ℥. ß.
Salis Tartari, ℥. j.
Cum ſufficienti quantitate Olei Nucis aut Lauri fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum *Ceratum* dicitur, ſi *oleo*, *pulvere*, & *cera* confectum, conſiſtentiam molliorem ſolita emplaſtri conſiſtentia habeat.

3. VESICATORIUM topicum eſt ſubmolle, quod cuti admotum, in epidermide veſiculas excitat, ſero plenas: *officinale* unum eſt emplaſtrum ſcilicet veſicans, quod nunc *ſolum*, nunc *cantharidum* pulvere conſperſum adhibetur; aliud eſt *magiſtrale*, quod *ex fermento veteri* & *cantharidum pulvere* una ſubactis componitur: varia eſt doſis *cantharidum*, prout majori, minorive energia opus eſt, ſed ut plurimum proportio pulveris *cantharidum ad fermentum* eſt a ℥. ij. ad ℥. j.

Uſus quidem veſicantium jam multum abolevit, & exulavit: viget tamen etiam nunc in *oculorum affectibus*, *dentium dolore*, *ceteriſque catharroſis affectibus*, ſcilicet in *inflammationibus* quæ faciei partes affectant, quibus efficaciter prodeſſe ſolent: applicantur vero intra utramque ſcapulam, vel ſupra colli vertebras, vel in ſincipite, vel tandem utrimque pone aures per aliquot horas, aut per totam noctem, per diverſa veſicatorii efficacia.

Veſicatorium.

℞. Muſcarum cantharidum pulveratarum ſufficientem quantitatem: miſce ſufficienti quantitati fermenti paſtæ & aceti, vel Terebenthinæ ut detineatur & extendi poſſit, ſupra pellem, emplaſtri inſtar.

Valent etiam veſicatoria ad *frontis vehementem dolorem*, *clavum dictum*, *ad oculos uſque productum*; quique exacerbationibus periodicis ægrotantem exercet, ita ut nullum ſit remedium, hunc affectum debellandi gratia, veſicatorio efficacius; per xv. aut xx. lies in fluxionibus continuari poteſt.

Hydatides, veſicatorio excitatæ, forcipe diſſecantur, illiniuntur butyro, ac tandem betæ foliis teguntur, ut per dies aliquot, tanquam perenni ſcaturigine, Lymphaml uberiorem eructent.

4. Po-

4. POMATA eſt ſpecies medicamenti, unguenti conſiſtentiam æmulantis; paratur *ad nitorem faciei conciliandum*, *ad herpetes curandas*, *ad ſcabiem*, *ad fiſſuras mammarum*, *ad derodendas narium cruſtas*. aliaſque ſimiles affectiones; componitur ex *oleis* rarioribus, & *cerâ* quarta parte, vel *axungiæ ſuillæ*, & *pulveribus*; Ea proportione, ut pro ℥. j. *axungiæ*, ſint *pulveris* ℥. ij. vel ℥. iij. prout validiores aut debiliores ſint.

Pomata ad nitorem faciei & ad herpetes furfuraceas delendas.

℞. Olei de Vitellis Ovorum, ℥. iv.
Ceræ albæ, ℥. j.
Liquata prius cera, miſceatur cum oleo: deinde in vaſe vitreo, cum ſuo operculo, exponatur Solis radiis, ad eminentiam digiti ſuperaffuſa aqua, & hic relinquatur per xv. aut xx. dies, donec perfecte dealbetur, aqua ſingulis diebus renovata.

Valet hæc pomata, ad *maculas variolarum delendas*, modo puſtulis maturis, & forcipe apertis adhibeatur; aliquando *ſolo oleo de vitellis ovorum*, ad eumdem ſcopum utimur, quod mirum præſtat effectum, & impedit ne pus, variolarumque ſalia cutem, lituris factis & turpibus ac profundis ſulcis defœdent: præterea materiam purulentam evacuando, ſpiſſæ & ingentes non gignuntur cruſtæ, & ideo apertiora ſunt cutis ſpiracula, faciliorque datur exitus inſenſibili tranſpirationi, a quo pendet ægrotantium ſalus: in aliis partibus ut in pede præcipue intra digitos *butyro recenti* utimur, ut impediatur digitorum coalitus, ſummuſque demulceatur pruritus, inquietos ſæpius reddens ægrotantes, febremque accendens.

Pomata ad herpetes.

℞. Pomati Jaſmini, ℥. ij.
Mercurii præcipitati albi, ℥. ij.
Miſce, fiat Pomata, ad partem affectam hora ſomni per VI. dies illiniendam.

Huic pomatæ ſi non cedant herpetes, alia ex præcipitato rubro eadem doſi parabitur, & ſi fortior deſideretur, præcipitatum rubrum exſiccatum, & non calcinatum præſcribitur.

Pomata ad ſcabiem.

℞. Pulpæ radicis Oxylapathi, ℔. j ß.
Styracis liquidæ, ℥. ij.
M. F. Pomata, qua partes ſcabié defœd. per IV. dies hòra ſomni prope ignem illiniantur; & ſi huic reſiſtat ſcabies, flores ſulphuris ad ℥. ij. miſceri debent.

Pomata ad fiſſuram mammarum.

℞. Sebi Hircini, ℥. ij.
Olei amygdalar. dulc. ℥. j.
Ceræ albæ parum,

Fiat

Fiat pomata, qua mammarum papillæ bis aut ter in die illinian-tur: pars Balſami Peruviani huic addi poteſt.

Pomata ad narium cruſtas derodendas & ad fiſſuram labiorum.

℞. Adipis Omenti Hœdi, ℥. IV.
Succi Uvarum dictarum vulgo *Maroquin*, nondum perfecte maturorum, ℥. iij.
Ceræ flavæ, ℥ß.
Miſce, omni cera prius liquata cum adipe in Balneo Mariæ, & poſtquam fuerit refrigerata in capſulis ligneis ad uſum ſervetur.

Ea naribus cruſtoſis, fortiterque ulceratis maxime prodeſt, ſicut & fiſſuris labiorum & mammarum, loco etiam *adipis omenti hœdi*, ex *axungia ſuilla* parari poteſt; ſed ad cruſtas erodendas, *ſperma ceti* ad ℥ ß. aliquando huic miſcetur.

5. UNGUENTUM eandem fere compoſitionem ac pomata poſſidet, unde ſuperſedemus.

Unguentum ad herpetem.

℞. Olei ovorum, ℥. IV.
Ceræ albæ, ℥. I.
Liquetur cera, miſce, ac in vaſe vitreo per dies xv. digere, ac ſerva ad uſum.

Id unguentum adhibetur in *variolis*, *ad cicatrices* quæ potiſſimum in facie ſcatent ſanandas, vel minuendas.

Aliud.

24. Olei Amygdalar. dulc. ſine igne parat.
Ceræ albæ, ana, ℔. j.
Miſce, & agitentur, donec unguenti conſiſtentia fuerit adepta.

Hoc unguentum quod vulgo *ceratum Galeni* vocatur, pruritus in cute excitatos potenter lenit, vaſa cutanea ſiccata emollit, pus aut ſeroſitates acres e parte affecta emanantes inviſcat, ſicque cicatrices deformes præcavet, ideoque adhibetur *in variolis*, *in herpetibus*, demum *in puſtulis* quotquot faciem dœfedantibus, dolorem acutum comitem habentibus, ipſamque cutim exſiccantibus, nec non exaſperantibus.

Nota ceram, quæ hoc unguentum componendi gratia adhibetur, ab igne futuram eſſe immunem; idcirco cera virgo nuncupatur; ſecus autem cera particulis igneis fœta, partem affectam vellicaret, ac moleſte afficeret.

Aliud.

℞. Axungiæ agninæ, ℥. ij.
Præcipitati albi, ℥. ij.
Salis Saturni

Tuthiæ præparatæ, ana ʒ. j.
Miſce, fiat unguentum.

Unguentum ad humiditates ulceris exſiccandas, illiuſque pruritum leniendum.

℞. Butyri inſulſi, ℔. ß.
Liquatur, adde
Tuthiæ præparatæ, ʒ. j.
Aloes Succotrinæ pulverat. ʒ. ij,
Fiat unguentum.

Eumdem præſtat effectum unguentum, quod *mitritum vulgo* nuncupatur, eo ſæpe utimur ad ani vulnera ſananda, & conſol[i]danda.

Unguentum in ophthalmia adhibendum.

℞. Ovorum albumin. num. ij.
Pone in catino ſtanneo, & cum fruſtulo aluminis agita, donec unguenti conſiſtentiam acquiſierit.

Hoc unguento calor conjunctivæ inflammatæ, & dolor potenter mitigantur; idcirco inter collyria recenſetur; convenit adhuc hæmorrhoidibus acute dolentibus, temperat enim dolorem, atque lenit.

Unguentum in fine ophtalmiæ.

℞. Butyri inſulſi, ʒ. iv.
Tuthiæ præparatæ, ʒ. ij.
Fiat unguentum,

Hoc unguento exſiccantur, & corroborantur conjunctivæ vaſa: ad intumeſcentiam adhuc palpebrarum debellandam adhibetur, potiſſimum dum eorum ligamenta., aut vicinæ glandulæ tument, & veluti inflammantur.

Unguentum ophthalmicum.

℞. Ovorum Albumin., num. ij.
Aquarum Roſarum
Plantaginis quantum ſatis
Miſce & quaſſa ſimul ad unguenti conſiſtentiam.

Repercutiens vulgo nuncupatur, in vulneribus, & gravibus oculorum contuſionibus adhibetur; adeoque inter collyria locum tenet.

Unguentum ad hæmorhoides.

℞. Unguenti Populei
Albi Rhaſis, ana, partes æquales
Miſce, fiat Unguentum.

Unguentum digeſtivum.

℞. Terebinthinæ Venetæ, ℥. iv.
Ovorum Vitell., num. ij.
Olei Hyperici, quantum ſatis
Fiat Unguentum.

Eo unguento vulgo utuntur Chirurgi ad *vulnera* quæcumque ſaſananda; & ſi putredo immineat magiſque detergendi intentio ſit, addunt *myrrham* & *aloem* pulveratam, & tunc *digeſtivum compoſitum* dicitur unguentum: dum ſenſu adeo exquiſito gaudent vulneris labia, ut digeſtivum ferre non valeant, id leniunt *addito Butyro inſulſo*, vel *oleo ovorum*, vel *amygdalarum dulcium* ſine igne parato; itaque plura addunt Chirurgi huic unguento, juxta varios vulnerum ſtatus, puris quantitatem, & potiſſimum qualitatem, quæ maximi quidem ſunt momenti, in arte chirurgica, neque hic exponi poſſunt propter operis anguſtias.

Unguentum ad ambuſtionem.

℞. Infuſionis Foliorum Sambuci, ℔. ß.
Lardi fruſtul.
Accenditur Lardum & accenſum cadat in infuſione florum Sambuci, donec unguenti conſiſtentiam acquiſierit.

Unguentum ad ſcabiem.

℞. Sulphuris vivi, ℔. j.
Foliorum Lauri, par. x.
Succi Limonum, ℥. iij.
Salis marini pulverati, ℥. ß.
Olei Olivarum, ℔. iv.
Coque ad unguenti conſiſtentiam.

Dum coctione inſpiſſatur oleum, debitamque conſiſtentiam acquirere incipit, folia lauri ſunt extrahenda: hoc unguentum ad ſcabiem ſanandam aliunde præſtantiſſimum eſt, & quaſi ſpecificum; odorem ſulphuris late ſpargit, quod ſane incommodum pluribus ſat notabile videtur; ad hoc vitandum, ſub finem coctionis, additur *ſtyracis calamitæ* ℥. j. *florum ſulphuris* pariter ℥. j. his potenter corrigitur ſulphur.

Unguentum mercuriale ſeu neapolitanum.

℞. Mercurii vivi e Cinnabari vivificati & ſordibus optime expurgati, ℔. ß.
Terebinthinæ Venetæ, quantum ſatis
Axungiæ Porcinæ inſulſæ ℔. j.
Fiat Unguentum.

Mercurius in terebinthinæ ſufficienti quantitate extinguitur, quod fit cum ea in mortario æreo eum agitando; extincto mercurrio, additur *adeps*, per duos dies integros teritur mixtio, ut in minimas particulas diviſus, intime adipi permiſceatur mercurius.

Si fuerit recte purificatus mercurius, grisaceo-lividus erit unguenti color; si vero sordibus fuerit inquinatus, nigrescit ad instar plumbi usti; ex tradita superius formula, unam esse mercurii partem pro duabus adipis patet; attamen in diversis regionibns, diversas hydrargyri proportiones cum adipe adhibere solent Chirurgi. *Parisiis* ut plurimum hydrargyrus & adeps ad partes æquales assumuntur; *Monspelii* una pars mercurii pro duabus adipis partibus; imo unam tantum pro tribus axungiæ sumunt quidam; hæ autem diversæ compositiones a Medico sunt præcipue notandæ, cum majorem aut minorem hydrargyri quantitatem contineant.

Verum præprimis considerandæ est Unguenti præparatio, nam dum hydrargyrus, sordibus inquinatus, adhibetur, aliquæ hujus particulæ poros vasorum subeunt, sanguinique permiscentur; ideo nulla expectanda luis venereæ curatio; hujus ratio facile petitur ex structura cutis, cujus pori adeo exiles, & insensibiles sunt, ut solas mercurii particulas tenuiores admittere valeant, eas vero quasi repellant, dum sordibus componuntur.

Quantitas illius unguenti ad quamlibet frictionem adhibenda est a ʒ. ij. ad ʒ. ß. juxta Medici intentionem, raro ultra ʒ ß. augetur.

Ut cum methodo hoc unguento utatur Medicus, conveniens est instituenda præparatio, diluentibus, humectantibus, edulcorantibus, interjectis identidem purgantibus, & venæ sectionibus, potissimum in præparationis fine, quæ balneis domesticis absolvitur; liquato & fero veluti divite sanguine, uno verbo minores fiunt hydrargyro obices; idcirco concretiones lymphaticas venereas feliciter solvit, virus corrigit, & expellit; hæc quidem longius examen exigerent, sed non sunt hujus loci.

SECTIO TERTIA.

De Compositione Medicamentorum mediorum.

SEctionem istam de medicamentis mediis liquidis, & de solidis tractandam incumbit.

§. I.

De compositione medicamentorum mediorum liquidorum.

Medicamenta hujus generis quatuor sunt, *clyster*, *injectio*, *gargarisma*, & *collyrium*, quæ singula, speciali explicatione exponenda, videntur.

1°. CLYSTER seu enema medicamentum est liquidum, quod per anum, in crassa intestina, infunditur: multis usibus destinatur, unde varia est compositionis ratio; modo enim fœces duriores emollit ut *emolliens*; mo-

modo viſcerum æſtum temperat, ut *refrigerans*; modo catharſim ſollicitat, ut *purgans*; modo inteſtinorum dolores demulcet, ut *anodynus*; modo inteſtina acriter ſtimulat, ut *irritans*; flatus modo diſcutit, ut *carminans*; modo vermes ejicit, ut *anthelminticus*, modo pituitam, aut pus, modo craſſamentum adhærens diſcutit, ut *detergens*; modo tonum amiſſum reſtituit, ut *adſtringens*; modo febriles paroxyſmos compeſcit, ut *febrifugus*; modo ſuppeditat alimoniam, cum fauces angina ſunt præcluſæ, ut *nutriens*, &c.

Componuntur ex variis *vegetabilium*, *animalium*, imo ex *mineralium partibus*, quæ propoſito ſcopo conveniunt; ex *aquis* tinctura præparatis, ſeu alteratis, ut *aqua in qua in fabrorum officinis ferrum candens ſæpius extinctum fuerit*; ex *liquoribus humoribuſve*, ut *urina puerorum*, *lacte*, & ex *juſculis*.

Clyſter ad alvum laxandam.

℞. Aq. fontanæ vel pluviatilis tepidæ, ℔. j.
Olei olivarum vel amygdal. dulc. ſine igne parati ʒ. iij.
Fiat Clyſter.

Alvinas fœces diluit iſte, interiorem inteſtinorum ſuperficiem lubricat, horum calorem temperat, eorumque fibras nimis tenſas emollit, exinde maximi eſt uſus ad anum aperiendum, in iis præſertim qui temperamento delicatulo gaudent, aut fervido & bilioſo.

Clyſter emolliens & laxans vulgaris.

℞. Foliorum Malæ.
Cichorei
Abſinthii, ana, m. j.
Coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate in colaturæ & expreſſionis ℔. j. diſſolve
Catholici, ʒ. j. ß.
Mellis Violacei, ʒ. ij.
Fiat Clyſter.

Clyſter magis purgans.

℞. Sennæ mundatæ ʒ. iij.
Coque in Decocti pro clyſteribus communis, ℔. j. In colatura diſſolve
Catholici
Diaphœnici, ana, ʒ. j.
Mellis Mercurialis, ʒ. ij.
Fiat Clyſter.

Clyſter valide purgans & irritans in apoplexia, aliiſque affectibus ſoporoſis.

℞. Decocti communis pro clyſter. ℔. j.
Diſſolve, Catholici, ʒ. ij.
Salis Gemmæ, ʒ. j.

Adde Vini Emetici turbidi, ʒ. ij. aut iij.
Fiat Clyſter.

Clyſter ad alvum laxandam in morbis renum & veſicæ inflammatoriis.

℞. Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ. ʒ. iij.
Seminis Lini contuſi, ʒ. ß.
Coque leviter in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate; ſub finem coctionis infunde
Florum Malvæ, m. j.
In colaturæ & expreſſionis ℔. j. diſſolve
Medullæ Caſſiæ recenter è canna extract. ʒ. j.
Adde Olei amygd. dulc. ſine igne parat. ʒ. iij.
Fiat Clyſter.

Hic Clyſter in dyſuria etiam adhibetur, quæ ab arenulis aut materiebus ſabuloſis producitur.

Clyſter in diarrhœa bilioſa.

℞. Aquæ Pulli, ℔. j.
Butyri recentis, ʒ. ij. vel iij.
Fiat Clyſter.

Si Butyrum recens obtineri non poſſit, ovorum vitellos ij. vel iij. ponantur.

Clyſter in dyſenteria.

℞. Decocti amozor. ℔. j.
Ovorum vitelli, num. ij.
Fiat Clyſter.

Alter in ſuppurata.

℞. Decocti Hordei ʒ. viij.
Mellis Roſati, ʒʒ. ij.
Sacchari rubri, ʒ. ß.
Terebinth. Venet. in ovi vitello ſolut. ʒ. ij.
Fiat Clyſter.

Adhibetur in ulcere & omni inteſtinorum ſuppuratione.

Enema irritationes inteſtinorum ſedans.

℞. Mucaginis Seminis Pſyllii & Cydoniorum in aqua Roſarum extract. ʒ. vj. ex utroque
Olei amygdalarum dulc. ſine igne parati,
Butyri inſulſi, ana ʒ. ij,
Fiat Enema.

Butyrum in mucilagine ſuper ignem liquandum: dein additur Oleum amygdalarum, potentiuſque inteſtinorum irritationes ſedabit, ſi Laudani opiati gr. ij. vel gr. iij. in eo ſolvantur.

Ene-

Enema nutriens seu alibile.

℞. Jusculi communis, ℔. j. ſſ.
Fiat Enema.

Priusquam in intestina injiciatur jusculum, sordes expurgandæ, injecto alio purgante, ne a sordibus in intestinis corrumpatur jusculum.

Clyster carminans.

℞. Foliorum Malvæ, m. j.
Pulegii
Origani, ana, m. ſ℈.
Coque in aquæ fontanæ sufficienti quantitate, sub finem coctionis adde,
Summitatum Rutæ
Florum Chamæmeli, ana, p. ij.
In colaturæ & expressionis ℔. j. dissolve
Catholici
Diaphœnici, ana ℥. j.
Mellis Mercurialis
Olei Rutæ, ana ℥. ij.
Fiat Clyster.

Clyster refrigerans.

℞. Foliorum Lactucæ
Borraginis
Cichorei
Sempervivi majoris, ana, m. j.
Florum Nymphææ
Malvæ, ana, pug. ij.
Coque ad ℔. j. in colatura dissolve
Mellis Violacei, ℥. j.
Fiat Clyster.

Magis refrigerans in magnis ardoribus.

℞. Seri Lactis ℔. j. in qua coquantur Cucurbitæ frustula ij. in colatura dissolve
Mellis Violacei, ℥. j.
Fiat Clyster.

Clyster leniens.

℞. Lactis Caprilli,
Decoct. Hordei, ana ℔. ſſ.
Sacchari rubr. ℥. j. ſſ.
Vitellos Ovorum, num. ij.
Misce, fiat Clyster.

Clyſter cum emulſionum materia.

℞. Amygdalarum dulcia excortic. paria xij.
Seminum iv frigidor. major. ℥. ij.
Contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo
Decocti Hordei & Liquiritiæ, ℔. j.
In colatura diſſolve
Sacchari Roſati, ℥. ij.
Fiat Clyſter.

Clyſter detergens.

℞. Hordei integri, pug. j.
Foliorum Plantaginis
Burſæ Paſtoris, ana, m. ij.
Roſarum rubrarum, pug. j.
Coque ad ℔. j. in colatura diſſolve
Mellis Roſati, ℥. ij.
Fiat Clyſter.

Alter.

℞. Hordei integri, pug. j.
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ, ℥. ij.
Foliorum Agrimoniæ
Dentis Leonis
Millefolii, ana, m. j.
Roſarum rubrarum.
Summitatum Hyperici, ana. pug. j.
Coque ad ℔. j. in colatura diſſolve
Mellis roſati, ℥. ij.
Fiat Clyſter.

Ad infantes.

℞. Hordei integri, pug. j.
Paſſularum, ℥. ij.
Liquiritiæ,
Seminis Lini, ana, ℥. j.
Coque ad ℥. vi. in colatura diſſolve
Catholici pro ore, ℥. ß.
Mellis roſati, ℥. j.
Fiat Clyſter.

Varia eſt pro ætatis & affectus ratione quantitas; in infantibus, pueriſve ab ℥. iv. ad ℥. viii. præſcribi ſolent; in adultis vero a ℔. j. ad ℔. j ß. niſi morbi ratio contrarium ſuadeat; parcior enim copia immitti debet, ſi partes quæ inteſtinis adjacent, inflammatæ, aut tumefactæ fuerint, ſi abdomen meteoriſmo diſtendatur, ſi inteſtina inflammata, ulceratave dilatationem ægre admittant, ſi veſica urinaria, aut uterus tumeant, veſica urina, aut uterus fœtu, ſi flatus, admittendo clyſteri, obſtent.

Hora

Hora quævis injiciendo commoda eſt, ſi dolor urgeat, aut neceſſitas inſtet; verum ſi tempus eligere licitum ſit, præſtat clyſterem adhibere mane, aut ſero tribus aut quatuor horis a paſtu, dum ventriculus cibariis maxime vacuus eſt; in ægris vero, ſi ſolis juſculis nutriantur, una aut altera poſt juſculum hora immitti debet clyſter, per ſemihoram retineri, imo etiam diutius, potiſſimum ſi alterans aut nutriens ſit.

2°. INJECTIO eſt remedium liquidum, quod in partes quaſcumque ab ano diverſos, aut in anum ipſum, ſed in pauca doſi, ſyringa immittitur: utilis 1o. in *aurium affectibus*, ad dolorem mitigandum, ad inflammationem minuendam, ad pus in ulcere detergendum. 2o. *in thoracis vulneribus* ad ſanguinem, vel pus, quæ in pectore fluctuant, abſtergenda. 3o. *In affectibus virgæ & vehicæ* ad doſorem ſedandum, qui ab humorum acrimonia, calculo, phlogoſi excitatur, ad ulcus eluendum, detergendum, conſolidandum. 4o. *in ulceribus* quibuſcumque *fiſtuloſis & profundioribus*, ad callos, qui circumquaque adnaſcuntur, abſumendos; ad ulcus mundificandum & exſiccandum. 5o. demum *in affectibus ani*, ad dolorem hæmorrhoidum internarum compeſcendum, ad phlogoſim minuendam, ad latiores hæmorrhoides coercendas, &c.

Ut multiplex injectionum uſus eſt, ſic multiplex eorum forma: communis tamen omnium baſis *decocta ſunt varia*, *ſucci depurati*, *olea*, *aquæ ſtillatitiæ* aut *thermales*, *lac*, quibus *mel*, *olea*, *butyrum*, *pulveres*, *balſama* pro varia indicatione admiſcentur.

Injectio ad aurium abſceſſum.

℞. Hordei integri ſordibus expurg. m. j.
Coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate; ſub finem coctionis infunde
Roſarum rubrarum,
Florum Hyperici, ana, m. ß.
In colaturæ & expreſſionis ℔. j. diſſolve
Mellis Narbonenſis, ℥. iij.
Fiat injectio.

In abſceſſibus & ulceribus ceterarum partium adhiberi poteſt hæc injectio.

Alia in meatus auditorii inflammatione ad dolorem leniendum.

℞. Lactis vaccini vel caprilli ſufficientem quantitatem.
Fiat Injectio.

Si addatur laudanum, potentius lenitur dolor.

Alia pro gravi auditu a ſordibus meatum obſtruentibus.

℞. Aquarum Fœniculi,
Meliſſæ, ana, ℥. iij.
In quibus infunde
Seminum Aniſi,
Fœniculi. ana, ʒ. ij.
Colaturæ adde Aquæ vitæ, ℥. ij.
Miſce, fiat Injectio in aures mane & ſero.

Alia

Alia.

℞. Aquæ fraxini, ℥. vi.
Spiritus vini, ʒ. ij.
Miſce, & hujus mixturæ guttæ aliquot in aures tepide bis in die per menſem inſtillentur.

Si adſint ulcera ſordida in meatu auditorio, aliquot *guttæ tincturæ myrrhæ* & *aloes*, ad detergendum inſtillari debent; *Lac* aut *oleum amygdalarum dulcium cum goſſypio* in aurem inſtillatum convenit in inflammatione; tinctura ſequens eſt etiam præſtantiſſima.

℞. Aquæ Roſarum, ʒ. j ß.
Laudani Opiati, gr. iv.
Miſce; fiat Injectio, cujus guttæ aliquot in aures inſtillentur.

Injectio ad Empyema.

℞. Radicis Ariſtolochiæ rotundæ, ʒ. ß.
Hordei integri, m. ß.
Roſarum rubrarum,
Summitatum Hyperici, ana, pug. ij.
Liquiritiæ, ʒ. j ß
Coque in Aquæ fontanæ ℔. j ß. in colatura diſſolve
Mellis roſati, ʒ. j ß.
Fiat Injectio.

Alia ad ulcus vetuſtum detergendum & exſiccandum.

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ, ana, ʒ. j.
Foliorum Centaurii
Scordii
Abſinthii minoris, ana, m. j.
Summitatum Hyperici,
Roſarum rubrarum, ana, p. ij.
Coque ad ℔. j ß. in vino albo: in colatura diſſolve
Mellis roſati, ʒ. ij.
Aquæ calcis purificat. ℥. iv.

Hoc decocto foveatur ulcus ſordidum, bis aut ter in die, & ex eodem decocto, fiat injectio, ſi fiſtuloſum, aut ſinuoſum ſit.

Alia ad ulcus virulentum & ſtrumoſum.

℞. Ligni Santali,
Ariſtolochiæ rotundæ, ana, ʒ. ij.
Summitatum Abſinthii,
Hyperici,
Roſarum rubrarum, ana, m. ß.

Coque in vini albi vel rubri, ℔. j. ß. in colatura diſſolve
Mellis roſati, ʒ. ij.

Præ-

Præcipitati rubri, ʒ. iij.
Hoc decocto foveatur ulcus, aut injiciatur si sinuosum sit.

Injectio ad hæmorrhagiam.

℞. Radicum Symphiti majoris,
Tormentillæ.
Bistortæ, ana, ℥. ij.
Malicorii,
Balaustiarum, ana, ʒ. j.
Coque in aquæ fontanæ sufficienti quantitate; sub finem coctionis infunde
Rosarum rubrarum, m. j.
℞. Illius Decocti, ℥. vi.
dissolve
Sanguinis Draconis, ʒ. ij.
Aluminis pulverati, ʒ. j.
Adde Aquæ stipticæ, ʒ. ij.
Fiat Injectio.

Liquido tepido, ope syringæ, fit hæc injectio, ne liquidum frigidum sanguinis motui intra uteri vasa obstet: hæc vasa uteri aperta tutius, citiusque occludit, quam adstringentia ore assumpta, quia vasis apertis immediate applicatur, convenit quoque in vaginæ hæmorrhagia.

Injectio pro tumore uteri cancroso.

℞. Succi Solani hortensis depurati, ℥. iv.
Tepide in uterum injiciatur.

Verum si acutissimus sit uteri dolor, in eo solvenda sunt, ut potentius compescatur, gr. iij. aut iv. opii.

Injectio ad corroborandum uterum laxum.

℞. Aquarum thermalium ℔. ß.
Injiciantur tepide.

30. GARGARISMA est remedium forma liquidum, quod in ore contentum, diu circa fauces agitatur; ad varios, partium ori adjacentium affectus præscribitur. 1°. ad sistendam inflammationem, ut dum uvula phlogosi intumescit. 2°. ad dolorem dentium mitigandum. 3°. ad oris ardorem compescendum. 4°. ad inflammationem maturandam, 5°. ad oris ulcera detergenda, &c.

Fit autem ex *vino meraco*, ex *aquis thermalibus*, ex *lacte*, aut *sero lactis*, ex *oxycrato*, ex *spiritu vini aqua temperato*, & quæ solæ adhibentur, vel *aquis stillatitiis*, aut *decoctis multi generis*, quibus *mel*, *mucilagines*, *syrupi varii* dissolvuntur, prout Medico videbitur.

Gargarisma refrigerans & leniens.

℞. Foliorum Sempervivi majoris
Lactucæ

Bor-

Borraginis, ana, m. j.
Florum Malvæ, m. ß.
Coque ad ℔. j. in colatura diſſolve
Omphacii clarificati, ʒ. iv.
Fiat Gargariſma quo frequenter alluatur os.

Aliud.

℞. Foliorum Umbilici Veneris,
Plantaginis, ana, m. j.
Florum Nymphææ, pug. ij.
Coque ad ℔. j. in colatura diſſolve
Sacchari Candi, ʒ. j.
Fiat Gargariſma.

Optimum, mirumque præſtat effectum in inflammatione Sal prunellæ ad ʒ. iij. in ſupra præſcripto diſſolutum; attamen, propter nigredinem, quam dentibus conciliat, non eſt in uſu apud praxim.

Aliud detergens & reſolvens.

℞. Foliorum Meliſſæ, m. ß.
Florum Chamæmeli,
Meliloti
Sambuci, ana, pug. j.
Coque in Aquæ Hordei ℔. j. in colatura diſſolve
Salis Ammoniaci, ʒ. j.
Fiat Gargariſma.

Gargariſma refrigerans & leniens, in initio inflammationum cum aquis ſtillatitiis.

℞. Aquarum Plantaginis
Liliorum, ana, ʒ. iij.
Sacchari candi,
Omphacii, ana, ʒ. j.
Fiat Gargariſma.

Aliud leniens in oris & tonſillarum acredine.

℞. Foliorum Sempervivi majoris, m. j.
Ficuum pinguium, par. vj.
Florum Malvæ, m. ß.
Coque in Aquæ Hordei ℔. j.
In colatura diſſolve
Syrupi de Nymphæa ʒ. j.
Fiat Gargariſma.

Magno cum ſucceſſu in omnibus oris inflammationibus, ſcilicet *tonſillarum*, *uvulæ*, *linguæ* &c. modo ut acredine aut ſiccitate ſtipatæ ſint illæ partes, præſcribitur.

Aliud

Aliud detergens in aphthis & ulceribus oris.

℞. Hordei integri, pug. j.
Agrimoniæ, pug. j. ß.
Liquiritiæ, ʒ. iij.
Rosarum rubrarum, pug. ij.
Coque ad ℔. j. in colatura dissolve
Mellis rosati ʒ. j. ß.
Fiat Gargarisma.

Aliud detergens & leniens.

℞. Hordei integri, purg. j.
Agrimoniæ, m. j.
Ficuum pinguium, par. vj.
Liquiritiæ, ʒ. ij.
Florum Malvæ, pug. j.
Coque ad ℔. j. in colatura dissolve
Mucaginis Seminum Psyllii & Cydoniorum in aqua Rosarum extractæ, ʒ. j.
Fiat Gargarisma.

Aliud detergens in magnis ulceribus.

℞. Radicis Aristolochiæ rotundæ, m. ß.
Summitatum Absinthii minoris
Hyperici, ana, pug. j. ß.
Coque in decocti Rosarum rubrarum ℔. j.
In colatura dissolve
Mellis rosati ʒ. ß.
Fiat Gargarisma.

Aliud detergens in scorbuto.

℞. Hordei integri, m. ß.
Foliorum Pimpinellæ,
Capillorum Veneris,
Agrimoniæ, ana, m. j.
Summitatum Absinthii minoris,
Rosarum rubrarum, ana, pug. j.
Coque ad ℔. j. in colatura dissolve
Mellis Rosati ʒ. j ß.
Fiat Gargarisma.

Aliud gingivas firmans & sanguinem sistens.

℞. Ligni Lentisci, ʒ. ß.
Rosarum rubrarum,
Balaustiarum, ana, m. ß.
Coque ad ℔. j. in colatura dissolve

Alu-

Aluminis rupei, ʒ. iij.
Fiat Gargariſma.

Gargariſma ad dentium dolores.

℞. Corticis med. Sambuci, ʒ ß.
Florum Anthos, m. ß.
Coque ad ℔. j. Fiat Gargariſma.

Cum aqua etiam vitæ præſcribitur, præcipue ſi carie, aut fluxione ab aere frigido producta, ſuſtentatus fuerit dolor: ſi a carie, ſpecificum eſt ſequens, nam impedit ne materiis congeſtis irritentur nervi: alluitur tantum caries.

℞. Radicis Pyrethri ʒ. ij.
Caryophyllorum ʒ. j ß.
Zingiberis ϑ. j.
Omnia craſſiuſcule pulverata, ſimulque mixta imponantur in mortario, hiſque affundatur
Spiritus Vini rectificatiſſimi ʒ. iv.
Rite digerantur ſupra cineres calidos per horas xxiv: tincturam filtra, eique adde
Tincturæ Camphoræ, ʒ. ß.

4°. Quidquid olim Antiquiores Medici COLLYRII nomine intellexerunt, (qua de re haud levis eſt controverſia) conſtat jam apud Neotericos eadem voce *ophthalmica* tantum remedia deſignari, quæ affectibus oculorum proſunt, ſive *liquoris*, *pulveris*, *linimenti*, aut *cataplaſmatis* forma adhibeantur; unde generalis diviſio collyriorum nomine ſtrictiori, ac magis propria ſignificatione denotentur; ideo ablegatis ſolidis quæ jam *linimenta* vel *cataplaſmata* appellantur, de *liquidis* tantum agere viſum eſt, quæ definienda cenſemus, medicamenta liquida forma, quæ oculis inſtillata, ipſorum affectionibus utilia ſunt.

Collyria præſcribi ſolent 1°. ad repellendum initium fluxionis ophthalmicæ. 2°. ad leviter reſolvendum. 3°. ad detergenda, exſiccanda corneæ ulcuſcula, 4°. ad maculas aut cicatrices corneæ diſcutiendas. 5°. ad præcavendam humorum oculi opacitatem, &c.

Fiunt Collyria ex *vino*, *lacte*, *aquis thermalibus* v. g. *Bellilucanis*, quæ ſola ſeorſim uſurpantur; vel ex *infuſis*, *decoctis*, *aquis ſtillatitiis variis*, quibus confundi ſolent *ſaccharum*, *vinum emeticum*, *ſalia* & *ſaliniformia* remedia multigena, ut *alumen*, *vitriolum*, *ſal ammoniacum* &c. *pulveres* ut *tuthia præparata*, &c. & *mucilagines pſyllii*, *cydoniorum*, *ſtercus lacertarum*, &c.

Collyrium oculis lacrymantibus convenions.

℞. Butyri recentis ʒ. ij.
Tuthiæ præparatæ ʒ. ß.
Miſce; fiat collyrium hora ſomni applicandum.

Col.

Collyrium ad oculorum inflammationem & fluxionem.

℞. Aquarum Plantaginis,
Roſarum ana ℥. iij.
Tuthiæ præparatæ, ʒ ß.
Vitrioli albi gr. xv.
Miſce; fiat Collyrium quo ter aut quater in die tepide foveantur oculi.

Aliud.

℞. Aquarum Roſarum
Plantaginis, ana, ℥. ij.
Sacchari Saturni, ℈. ij.
Miſce; fiat Collyrium.

Aliud ad inflammationem oculorum poſt ictum.

℞. Album. Ovorum, num. j.
Aquæ Roſarum, ℥. iij.
Agitentur diu cum ſcapulis: adde
Pulveris Aluminis rupei, ad ʒ ß.
Fiat Collyrium oculis applicandum.

Aliud ad viſum roborandum.

℞. Aquarum Cupreſſi
Fœniculi, ana, ℥. iv.
Sacchari cryſtal. ℥. ß.
Fiat Collyrium.

Aliud ad maculas oculorum delendas, præcipue a variolis relictis.

℞. Succi Calcitrapæ, ℥. viij.
Aquæ vitæ, ℥. j.
Miſce, fiat Collyrium,

Aliud ad ſeroſos humores diſſipandos.

℞. Aquæ Fœniculi ℥. viij.
Infunde Caryophyllorum ʒ. j.
Colatura utatur pro Collyrio.

Collyrium ad lippitudinem ex decocto.

℞. Antimonii crudi craſſiuſcule triti & in nodulo ſuſpenſi ℥. iij.
Infunde in aquæ fontanæ ℔. j ß. ſuper cineres calidos per horas xij. dein coque ad quartæ vel tertiæ partis conſumptionem, & ſub finem coctionis adde
Radicis Ireos Florentinæ, ℥. ß.
Florum Anthos,
Roſarum, ana, m. ß.

In

In colatura diſſolve
Sacchari cryſtalliſati, ʒ. j.
Fiat Collyrium.

Aliud ad pus detergendum.

Utimur decocto ſupra dicto cum antimonio, vel ſequenti Collyrio.
℞. Aquarum Plantaginis
Fœniculi, ana, ʒ. iij.
Tuthiæ præparatæ, ʒ. ß.
Aloes optimæ, ʒ ß.
Miſce, fiat Collyrium.

Collyrium ad ulcus corneæ.

℞. Seminum Foenugræci
Lini, ana, ʒ. ij.
Florum Malvæ
Chamæmeli
Meliloti, ana, pug. j.
Coque ad ʒ. x; hoc decocto foveantur oculi ſæpe in die.

Collyrium ad Staphylomata.

℞. Aquarum Plantaginis
Roſarum, ana, ʒ. ij.
Tuthiæ præparatæ, ʒ. j. ß.
Salis Saturni, ϑ. ij.
Miſce, fiat Collyrium ad uſum.

Collyrium ex decocto, ad ulcus corneæ detergendum, & impediendum, ne hæc perforetur tunica, & una promineat, in uſum quoque venit, ideoque ſequenti Collyrio præcavetur Staphyloma.
℞. Foliorum Plantaginis,
Agrimoniæ, ana, m. ß.
Radicis Ireos Florentinæ, ʒ. iij.
Roſarum rubrarum, pug. j.
Coque in aquæ fontanæ ℔. j. ad tertiæ partis conſumptionem: in colatura diſſolve
Sacchari cryſtalliſati, ʒ. iij.
Fiat Collyrium.

Aliud ad ſuffuſionem.

℞. Aquarum Fœniculi
Cupreſſi, ana, ʒ. iij.
Croci Metallorum, ʒ. j.
Miſce; fiat Collyrium.
Eoſdem præſtat effectus, ac Collyrium ſupra, vinum emeticum.

Collyrium in inflammatione palpebrarum, præcipue a variolis.

℞. Mucaginis ſeminum Pſyllii & Cydoniorum in aqua Roſarum extract. ℥. vj.
Decocti Florum Chamæmeli
Meliloti, ana, ℥. iij.
Miſce, fiat Collyrium quo imbuantur lintea oculis tepidis applicanda.

Ad corpora acuta in oculum introducta, miros præſtat effectus Collyrium hoc, cumque irritantia involvenda ſunt, & ad dolorem ſedandum; eoſdem efficit lac & pomi pulpa, ſub cataplaſmatis forma, & albumina ovorum in aqua roſarum exagitata cum alumine rupeo.

De Compoſitione Medicamentorum mediorum, quæ ſub formâ ſunt ſolida.

Iſtius modi tria ſunt, *Suppoſitorium* nempe, *Peſſarium*, & *Sternutatorium*, de quibus in ſequentibus ſigillatim agemus.

1°. SUPPOSITORIUM, glans, vel Balanus medicamentum eſt forma ſolidum, figura teres, quod in anum introducitur, ut vix expultrix, quæ pigra eſt, ſtimuletur; unum *ſimplex* eſt, quod *e radice porri, betæ*, &c. *ſapone albo*, *melle ſolo* ad duritiem cocto paratur; *compoſitum* alterum, quod *ex melle cocto* componitur, cui *ſal commune*, *gemmeum*, *ammoniacum*, *diagrydium* &c., debita doſi admiſcentur; prius infantibus ſufficit, poſterius vero adultis utile eſt, quibus fortiore irritatione opus eſt, ut promoveatur dejectio: *oleo* inungi ſolet utrumque, ut in anum facilius & citra laborem inſinuetur: doſis autem irritantium ſpecierum ad mel eſt ℥. j. aut ℥. j. ß. ſequenti formula.

℞. Trochiſcorum Alhandal
Diacrydii, ana, ℈ß.
Salis Gemmæ, ʒ ij.
Miſce cum melle deſpumato cocto ad ℥ j. Fiat Suppoſitorium.

Suppoſitorium blandum.

℞. Mellis optimi cocti, ℥. j.
Salis communis, ℥. ß.
Miſce, fiat Suppoſitorium.

Aliud ad vermes enecandos.

℞. Mellis ad craſſitiem cocti, ℥. j.
Hieræ picræ Galeni, ℥. ij.
Stercoiris muris exſiccati, ℥. j.
Miſce; fiat Suppoſitorium illiniendum cum Mercurio in terebinthina extincto.

2o. PESSARIUM medicamentum eſt forma ſolidum, figura teres; craſſioris digiti magnitudinem æquens, quod in mulierum vaginam ad varios uſus intrudi ſolet, ac in virginibus, in quibus ob arctiora clauſtra, hocce remedii genus citra noxam admitti non poteſt, vaginæ tantum orificio apponi ſolet, non oblonga & tereti, ſed globuloſa & ovali forma, & tunc *naſcale* appellatur.

Peſſaria utilia ſunt menſibus movendis, firmando & retinendo uteri fundo, diſcutiendis hyſtericis inſultibus, deturbandis hærentibus ſecundinis, aut fœtui mortuo, promovendæ conceptioni, detergendo & exſiccando vaginæ ulceri.

Præparantur triplici methodo 1o. cum goſſypio, quod *unguento*, *oleis*, *ſuccis plantarum* imbutum, appropriatis, pulveribuſque ſpecificis conſperſum, & ſindone tenui, aut panno ſerico obvolutum in aptam figuram confirmatur. 2o. *cum melle cocto & indurato*, quod pulveribus idoneis ad ℥. j. aut ℥. ij. grave & onuſtum in teretem figuram rotundatur ſuppoſitorii inſtar: denique ex ſindone, aut panno ſerico, qui in ſacci exigui formam conſutus, pulveribus, gummis & plantis variis contritis repletur.

Ceterum qualicumque forma præſcribatur, ſolemne eſt filum cuilibet alligari, ut retrahi commode poſſit, quotieſcumque videbitur, ut ex ſequenti formula manifeſtum eſt.

℞. Myrrhæ
Aloes
Seminis Nigellæ Romanæ pulver. ana ℥. j. ß.
Pulveris Ariſtolochiæ, ℥. j.
Succi Mercurialis, quantum ſatis, ℥. j.

Excipiantur omnia goſſypio; fiat peſſarium magnitudinis craſſioris digiti, quod panno ſerico involutum, filoque alligatum in uteri cervicem immittatur, ad menſtrua promovenda.

3o. STERNUTATORIA ſunt remedia, in nares immiſſa, ſternutationem fortiter proritantia; præparantur ad mucum educendum in gravedine, ad ægros ſopitos ſuſcitandos in apoplexia, lethargo &c. ad ſecundinam aut fœtum mortuum ex utero expellendum: *ſimplicia* parantur ex *pulvere Nicotianæ*, aut *Betonicæ*, aut *Salviæ*, aut *Ireos Florentinæ* &c. *Compoſita* vero & fortiora ex *acrioribus* una contuſis, qualis *piper*, *pyrethrum*, *ſemen ſinapi*, *radix hellebori albi*, *euphorbium*, quod vehementius eſt parciori doſi admiſceri debet, neque ultra ℈ ß. Cetera vero ad ℥ ij Sternutatoria quævis vel ab ægris, ſi vigiles ſint, inſpirando, in nares attrahuntur, vel in ipſorum nares, ſi ſopiti fuerunt, inſufflantur, vel penulis intromittuntur, talis eſt forma ſequens.

℞. Piperis longi
Elleborii pulveratorum, ad ℥. j.
Euphorbii, ʒb ß.

Miſce, fiat Pulvis ſternutatorius.

Aliud in omnibus capitis affectibus.

℞. Succorum Betonicæ
Majoranæ, ana, ʒ. iij.
Miſce; fiat ſternutatorium, cujus sero & mane naribus attrahatur portio.

Aliud in hemicrania.

℞. Succorum Cyclaminis,
Braſſicæ marinæ, ana, ʒ. iij.
Menthæ, ʒ. j.
Miſce: fiat ſternutatorium.

Aliud in diuturnam capitis affectionem, Epilepſiam & oculorum hebetudinem.

℞. Foliorum Betonicæ,
Rutæ ſicc. & pulverat. ana, ʒ. j ß.
Piperis albi pulverati, ʒ ß.
Excipiantur oleo aut pauca cera; fiat unguentum quo mane & sero illiniantur narium interiora.

Aliud adſtringens in narium hæmorrhagiis.

℞. Boli Armenæ,
Terræ ſigillatæ
Roſarum rubrarum, ana, ʒ. ij.
Pulverentur, & excipiantur ovorum albuminibus, dein agitentur, & inungatur lana, vel linteum, vel goſſypium, quod turundæ inſtar naribus intromittatur.

Aliud in olfactus imbecillitatem.

℞. Foliorum Betonicæ,
Origani,
Calaminthæ,
Pulegii, ana, m. ß.
Florum Anthos, pug. ij.
Coque ad ℔. j. cujus ter in die attrahatur in nares portio.

Maſticatorium.

℞. Pyrethri
Seminis Sinapi,
Piperis longi
Staphiſagriæ, ana, ʒ. ß.
Terantur omnia, & melle excipiantur, ut fiant globuli linteis involvendi, in ore detineantur, & dentibus mandentur per aliquot momenta & poſt expuantur.

Aliud leniens frequenter uſurpandum.

℞. Lacrymarum Maſtiches, ʒ ß.
Ceræ flavæ, ℥. iij.
Zingiberis
Pyrethri, ana, ʒ. j.
Liquentur & miſceantur, ut fiant globuli magnitudinis nucis moſchatæ quorum unus involvatur, in ore maſticando per ſemihoram ſingulo mane.

Quam plurimæ aliæ diviſiones apud varios auctores ſolent, quæque omnes ad jam recenſitas ſunt referendæ.

THERAPEUTICES
PARS POSTERIOR.

De modo medendi ſeu de indicationibus.

MEdicamenta in curandis morbis non caſu, ſive fortuna, ſed certa methodo adminiſtrari debent, ut optatum ſcopum impleant, ac ægris tutam citam, jucundamque medelam afferant, quocirca officium eſt rationalis ac vere dogmatici Medici non cœce ac temerarie, ſed ratione duce, medicinam facere cunctis, quæcunque ad ægrum pertinent prius prudenter animadverſis, ac bene penſitatis, ut inde quid agendum ſuadeant, & diſſuadeant certius colligat: quidquid autem in ægro hoc modo cognitum aut deprehenſum, quidpiam agendum ſuadet, *indicans*; id vero quod agendum ſuadetur *indicatum* dicitur: ipſa vero res agenda, *indicatio* appellatur; ſic in febre ardenti cui refrigerantia conducunt, *calor* eſt *indicans*, *refrigerantia indicata*; illatio a calore deducta, qua refrigerantia ſuadentur, *indicatio* eſt: Si quid autem auxilium quoddam jam ab altero indicante inſinuatum, novo rationis pondere ſuadeat, *coindicans*; Si vero permittat tantum, *conſentiens* dicitur; ita ſi quis adoleſcens plethoricus febre laborat, plethora *ſectionis venæ indicans*, febris *coindicans*, ætas vero juvenilis *conſentient* erit; at vero ratione contraria, ſi quid remedium ab indicante quodam indicatum aliud diſſuadeat, *contraindicans*, ſi vero a remedio a contraindicante jam diſſuaſo argumento novo dehortetur, *contracoindicans*: Si tantum non permittat, ſolummodo *repugnans* appellatur: ſic v. g. in diſſolutione cachectica ſanguinis, quæ diuturnis, ac chronicis viſcerum obſtructionibus ſuccedit, obſtructiones quidem *indicant aperientia*, ac diſſolutio ſangui-

nis, quæ jam adeſt, *contraindicat*, febris quæ comes eſt individua *contraçoindicat*, ventriculus vero *repugnat*, qui tono debilitatus, aperientia nequaquam eſt toleraturus.

Inde liquet indicantia numero plurima eſſe in ægroto quolibet, cum plurima ſint ad quæ Medicus attendere debeat, & quæ propoſitam medendi normam immutare plurimum valeant: ea tamen qualiacumque ſint, poſſunt ordinis gratia commode revocari ad quatuor ſequentia, quæ in affectu quolibet potiſſima ſunt, atque potiſſimos indicationis fontes conſtituunt.

1um. Eſt cauſa morbi, quæ ſuadet ipſius remotionem, & illa indicatio *præſervatoria*, ſive *prophylactica* dicitur.

2um. Morbum ipſemet, qui ſui curationem & ablationem indicat, & illa indicatio *curatoria* appellatur, ſeu *therapeutica*.

3um. Sunt ſymptomata, quæ mitigationem poſtulant in affectu quolibet, ſi urgentiora ſint, & illa indicatio *mitigatoria*, ſive *palliativa* vocatur.

4um. Denique vires, quas in ægrotantibus cautè conſervari neceſſe eſt, & illa *indicatio vitalis*, ſeu *conſervatoria* nuncupatur; qualem etiam ordinem ſequemur, in diſtribuendis univerſalibus indicationibus, ſive præcipuis indicationum fontibus; ſequemur eumdem in tractandis & ſpecialibus enucleandis indicationibus ſingulis: Et primo quidem

De indicationibus prophylacticis.

Univerſas morborum cauſas in pathologia ſatis diſtinxerunt nonnulli auctores, in externas & internas: priores propriam HYGIEINES materiam faciunt, quæ rectum ipſarum uſum docet; poſteriores ad THERAPEUTICEN, ſive medendi methodum pertinent, quæ varias indicationes inde elicit.

Cauſarum internarum aliæ ſunt *antecedentes*, quæ morbos mediate tantum producunt, aliæ *conjunctæ*, quæ morbos ita immediate inferunt, ut iis ſemel poſitis, morbus quoque ponatur: hæ quidem quoniam cum morbo conjunguntur, *curatorias* tantum *indicationes* offerunt, ſicut & morbus ipſe; illæ vero cum morbum præcedant *prophylacticis indicationibus* locum præbent, quibus morbus futurus & quaſi imminens præcaveatur, adeoque ad hanc ſpecialiter pertinent: *antecedentes* autem cauſæ numeroſæ, variæ, & multigenæ, pro morborum, ſubjectorum, regionum diverſitate; poſſunt tamen haud inepte ad tria in univerſum reduci, nimirum ad *plethoram*, *cacochyliam*, & *cacochymiam*, unde

De Indicationibus quæ a Plethora, repetuntur.

1o. PLETHORA quæ præternaturalis eſt vaſorum *plenitudo*, ratione cauſæ *duplex* eſt, *vera una* & *legitima*, quæ a ſanguinis quantitate præternaturaliter aucta; *altera apparens*, *notha* ſive *ſpuria*, quæ ab immodica ſanguinis rareſcentia, ejuſque expanſione producitur; utraque affectus eoſdem plane ſolet inducere, nam in utraque perinde eſt.

1o. Præternaturalis vaſorum *diſtentio*, quæ ſanguinis auctæ quantitati, & rareſcentiæ proportionata eſt, unde *pulſus* magnus & plenus.

2o. Aucta contranitentia arteriarum, augetur *diaſtole*, quæ au-

cto ſanguinis diſtendentis momento proportione reſpondet, unde *pulſus* durus & vibrans.

3o. Difficultas major in arteriarum *conſtrictione*, quæ proportionem eandem habet, ac aucta ſanguinis reſiſtentis contranitentia, unde *pulſus* tardus.

4o. Tarditas circulationis, quæ in ratione eadem, ac imminuta arteriarum ceterorumque vaſorum *conſtrictio* eſt, unde *pulſus* rarus.

5o. Hærentia ſanguinis in partium contextu, ſive extremis vaſorum capillamentis, quæ eſt in ratione compoſita quantitatis ſanguinis, & retardatæ ejuſdem circulationis, unde partium *tumor*, *rubor*, *gravitas tenſiva*, *laſſitudo*.

6o. Preſſio organis compreſſibilibus illata, quæ proportionata eſt ſanguinis hærentiæ, unde *difficilis reſpiratio* a compreſſis pulmonibus, *ſomnus gravis* & *longus* ab oppreſſo cerebro.

7o. Parcior humorum ſecretio, quæ compoſitam rationem habet tum tarditatis qua ſanguis ſolitos circuitus perficit, tum preſſionis quam ſecretoria organa ab hærente cruore patiuntur, unde *pauciores ſpiritus*, quorum penuria *functiones animales* collabeſcunt, *pauciora fermenta chylopœa*, quorum defectu depravatur coctio.

8o. Segnities motus muſcularis cujuſcumque, quæ creſcit in ratione compoſita, tum imminutæ ſpirituum quantitatis, tum preſſionis fibris muſcularibus illatæ, unde *pigrities* & *ignavia*.

9o. Lenta demum & vitioſa *hæmatoſis*, quæ eſt in compoſita ratione, tum crudioris chyli qui a ventriculo ſubminiſtratur, tum tardioris motus quo ſanguis circulatur, unde *cacochymia*, quæ plethoræ diuturnioris comes eſt individua.

Sed ſi neglecta plethora lapſu temporis inveteretur, vitia creſcunt in dies, ac inde ſubito accidunt *hæmophtyſes*, *vomitus ſanguineis*, *hæmorrhagiæ uterinæ*, *inflammationes partium internarum*, *pleuritides*, *peripneumoniæ*, *apoplexia*, *mors repentina*, &c. vel ſenſim inducuntur *abſceſſus partium internarum*, *obſtructiones viſcerum* & *hydropes*, aliique non pauci chronici & contumaciſſimi affectus.

Itaque ut morborum ilias, quæ a plethora ingruit, avertatur, cautione opus eſt, ac nimia vaſorum plenitudo citiſſime minuenda. 1o. *diæta tenuiori* quæ nutrimentum ſubtrahat, & validioribus exercitiis, quæ perſpirationem uberiorem promoveant. 2o. *miſſione ſanguinis*. 3o. *ſcarificatione*, *cucurbitulis*. 4o. demum *admotis hirudinibus*: primam quidem imminuendæ plethoræ rationem ad HYGIEINEM remittimus, ad quam proprie ſpectat; ad tres poſtremas, quæ ſunt præſentis inſtituti, ſigillatim examinabimus.

DE SANGUINIS MISSIONE.

Cum *Sanguinis miſſio*, unum ſit ex præſtantiſſimis medicinæ auxiliis, ne quid in re tam gravi deſideretur, operæ pretium eſt, quæcumque ad præſentem quæſtionem pertinent, accuratius explicare: unde

Quid & quotuplex ſit Sanguinis Miſſio.

1. Uſus detrahendi ſanguinis in medicina eſt antiquiſſimus, cum

apud primos ſcientiæ medicæ auctores haud rara proſtent miſſi ſanguinis exempla ; Si PLINIO credimus , *fluviatilis equus , qui in Nilo frequens eſt , inſtitutæ hujus conſuetudinis magiſter fuit ; is namque*, inquit PLINIUS hiſtoriæ naturalis Lib. VIII. Cap. 26. *aſſidua ſatietate obeſus exit in litus , recentes harundinum cæſuras ſpeculatus : atque ubi videt acutiſſimum ſtipitem , imprimens corpus , venam in crure* (al. cute) *vulnerat quandam , atque ita profluvio ſanguinis morbi dum alias corpus exonerat , & plagam limo rurſus obducit* ; quoniam autem anatome docet *gemina* eſſe in corpore *vaſa* , in quibus ſanguis continetur , alia nempe *arterioſa* , duriora , firmiora , anguſtiora , magis elaſtica , alterno motu pulſantia , quibus cruor *a corde in partes* affluit , alia *venoſa* , laxiora , molliora , ampliora , motu carentia , quibus ſanguis a *partibus ad cor* refluit ; conſequens eſt ſanguinem ab utriſque educi poſſe , ab arteriis quidem *arteriotomia* , *phlebotomia* a venis.

Arteriarum ſectio ſemper fuit rarioris uſus , eam tamen ab *Artis principibus* olim efficaciter quandoque uſurpatam fuiſſe legimus ; ſic *a* GALENO *Cap.* 22. *de ſanguinis miſſione , & ibidem cápite ultimo :* urgente neceſſitate ſecabantur *arteriæ* , quæ in *tempōribus* pulſant , ad acres oculorum fluxiones , ſtaphylomata &c. *quæ ſunt pone aures* in cephalæa & vertigine ; *quæ inter pollicem & indicem* excurrunt , in diuturnis laterum doloribus ; *quæ in malleolo* ad vetuſtos coxendicis dolores ; at jam methodum talem damnamus , & arteriam vulneratam exhorreſcimus , nec injuria quidem , nam 1°. labra *arteriæ* cum membranacea ſint & alterno pulſus motu incontinenter agitentur , ægre coaleſcunt : 2°. interim ſanguis majori impetu per *arteriam* circulans , per conniventem rimulam foras latenter proripit , ac injectæ ligaturæ reſiſtentiam ſenſim eluctatur , tumorem aneuriſmatidem in vicinis partibus excitat : 3°. demum cicatrix , ſi quæ vulneri obducatur , cum mollior ſit , præterfluentis ſanguinis niſui plerumque cedit , atque tacita expanſione dilatata , aneuriſma proprie dictum infert , unde ab *arteriotomia* caute abſtinendum eſt ; quod ſane tutius eſt , prudentiuſque ; aut ſi umquam tentanda videatur , in morbis tantum deſperatis , ut a recentiorum nonnullis non ſemel tentatum novimus : in temporalibus tantum , aut in illis quæ pone aures ſunt , celebrari debet , ubi ſubjecti oſſis contranitentia , & fortius comprimi , ne ſanguis affluat , & tutius conglutinari poſſint , ne cicatrix preſſu ſanguinis dehiſcat , aut expandatur.

Phlebotomia vero allatis periculis omnino caret , cum venæ , quæ contextus mollioris ſunt , nec ullo motu quatiuntur , facili , prompta cicatrice conglutinentur ; inde quoque factum eſt , ut *venæ ſectio* ſemper communior fuerit , & jam ferme ſola uſurpetur.

Mira fuit olim *antiquorum ſuperſtitio* , in eligendis venis ad phlebotomiam : nam ſingulis partibus proprias venas vindicabant , quas non ſecuiſſe piaculum credebant , quotieſcumque partes illæ morbo tentabantur ; ſic *vena* cubiti interna , quæ vena *baſilica* vulgo dicitur , incidenda erat , ſi partes claviculis ſubjectæ afficiebantur : externa vero quæ *humeraria & cephalica* vocatur , ubi partes quæ ſunt ſupra jugulum , facies nimirum , fauces , oculi , caput &c. afficiebantur ; *mediana* quæ utrique communis eſt , cum ſanguis e ſuperioribus & inferioribus partibus ſimul laborantibus , opera eadem deducen-

ducendus videbatur ; ſic *vena occipitis*, *vena temporum* , *vena frontis* pertundebatur ad varios capitis dolores anticos , poſticos & laterales ; ſic inter pollicem & indicem ſecta *vena* oculis prodeſſe credebatur , unde *ocularia* dicta fuit ; ſic intra auricularem digitum & annularem *ſalvatella* ſecta ad lienis affectus , febremque quartanam; *ranula* ſub lingua ad anginam , & oris inflammationem ; *in narium angulis* ad faciei ruborem ; *in majori cantho* ad phlegmonodeas oculorum affectiones ; *pone aures* ad ſterilitatem vena ſecabatur ; ſic demum in ſuppreſſis menſtruis interna malleoli vena , ſive *ſaphæna* , in iſchiade , in calculo , in inflammatione renum , ſectio *poplitea* in crure ſuadebatur.

Sed hæc omiſſa jam pridem fecimus : cum nec experientia , nec ratione ulla , ſed ſolo præjudicio nitantur : jam enim detecta ſanguinis circulatione , manifeſtum eſt , *venas quaſcumque* cum univerſali ſcilicet cordis promptuario , atque ideo cum ceteris corporis partibus communicationem obtinere ; ideoque ſecta vena quacumque , plethoram in omnibus partibus imminui , & ſanguinem ſuperfluum æqualiter undique evacuari : itaque neglectis venularum ramuſculis , qui laborioſe ſecantur , ſectique paucam ſanguinis quantitatem emittunt, majores tantum venas cui intime ſubſtratas incidimus, quarum inciſio facilior eſt , & quæ copioſum ſanguinem , celerique impetu effundunt , unde majus , citiuſque emolumentum ; iſtius modi ſunt 1o. vena cubiti interna , ſive baſilica ; externa ſive humeraria , vel cephalica ; & mediana inter utramque ſita : 2o. vena malleolarum interna ſive ſaphæna ; externa , ſive iſchiadica , propagineſque , tum ſaphœnæ , tum iſchiadicæ per pedis ſuperiora diſſeminatæ : 3o. venæ jugulares externæ ad colli latera locatæ , quæ tamen non cuti tantum , ſed & quadrato muſculo ſupponuntur.

Ceterum ſanguinis miſſio e qualicumque fiat vena , triplici fine inſtitui ſolet . 1o, ut plethorica cruoris abundantia minuatur , vaſaque nimium turgida depleantur , & tunc *evacuatoria*: 2o. ut ſanguis fluxu immodico partem quandam diſtendens , inflammans , opprimens inde retrahatur , & tunc *revulſiva* : 3o. ut uberior , celeriorque ſanguinis appulſus ad partem aliquam promoveatur , & tunc *derivativa* appellatur , quæ ſingulæ ſuas , & peculiares utilitates obtinent.

Quæ ſit utilitas evacuatoriæ S. M.

II. Conſtat 1o. ex nota ſanguinis circulatione , corde eodem modo ſeſe habente , quantitatem ſanguinis , quæ vaſis ineſt univerſis , ad quantitatem eam , quæ ſingulis cordis dilatationibus affertur , certam & conſtantem rationem perpetuo obtinere : itaque celebrata ſemel ſanguinis miſſione e quacumque vena , ſanguinis quantitas , quæ in vaſis reſidua eſt , habet ad quantitatem ſanguinis , quæ nunc cordis ventriculis infunditur dilatatione qualibet , eamdem præciſe proportionem , quæ antea erat inter totalem ſanguinis quantitatem , quæ in corpore continebatur , & quantitatem quæ cordi admittebatur qualibet diaſtole: Ergo qua proportione maſſa ſanguinis decreſcit ex phlebotomia , eadem proportione decreſcit ſimul ſanguinis quantitas quæ cordi immittitur diaſtole quacumque ; verum liquet inſuper,

per, ex eadem circulationis œconomia, quantitatem ſanguinis, quæ a corde contracto in arterias producitur. 1°. æqualem eſſe quantitati ſanguinis in cor dilatatum admiſſi. 2°. in univerſas corporis arterias proportionaliter diſtribui pro earumdem amplitudine: igitur conſequens eſt qua proportione ſanguinis maſſa decreſcit ex phlebotomia, eadem proportione decreſcere quantitatem ſanguinis, quæ a corde in arterias, & ab arteriis in partes pellitur, & decreſcere quidem proportionaliter in ſingulis arteriis, pro ipſarum amplitudine; inde eſt quod a vena ſecta pulſus mollior ſit, & quod ſingularum partium calor, rubor, tumor, tenſio, compreſſio, gravitas &c. æqualiter remittantur.

2°. Decreſcente cruoris quantitate, quæ vaſis ineſt, minuitur pari proportione momentum, quo ſanguis arteriis contractionem nitentibus reluctatur; ſed qua proportione ſanguinis momentum illud imminuitur, proportione eadem augetur contractionis exercitium in oſcillationibus arteriarum: Ergo qua proportione ſanguis e vaſis detrahitur, eadem proportione vaſa magis, fortiuſque contrahuntur, moventque efficacius ſanguinem contentum; at vero ſimul alio nomine ſanguis tunc eo facilius movetur, quo quantitate paucior: itaque ſanguinis circulatio debet ex celebrata phlebotomia accelerari, gemina ratione, 1°. quia creſcit arteriarum preſſio in movendum ſanguinem 2°. quia imminuta eſt ſanguinis movendi quantitas; quamobrem detracto ſanguine pulſus celerior & frequentior futurus eſt.

3°. Vaſorum actio in ſanguinem augetur, aucta eorumdem vaſorum contractione; multiplicatur, accelerata ſanguinis circulatione; intenditur, imminuta cruoris copia; hinc & phlebotomia creſcit ſanguinis ſubactio, & attritio ob oſcillationibus arteriarum, in compoſita ratione, 1°. majoris vaſorum contractionis, 2°. celerioris ſanguinis circulationis, 3°. imminutæ cruoris quantitatis; unde major eſt ſanguinis ſolutio, attenuatio, liquefactio.

4°. Accelerata circulatione ſanguinis, frequentius offertur colatoriis; aucta attritione & alternatione, ſecernendos humores copioſius immittit; imminuta collatoriorum preſſione, quantitas eorumdem humorum in ductus ſecretorios facilius deponitur; hinc itaque ex phlebotomia uberior ſecretio humorum promovetur, in compoſita ratione, 1°. accelleratæ circulationis, 2°. auctæ attritionis, 3°. imminutæ preſſionis in ſecretoriis organis; unde major appetitus & facilior concoctio, quia majori quantitate abundant fluida chylopœa; indeque major functionum animalium promptitudo, motuumque facilitas, quia ſpiritus copioſiores replent emporii ergaſtula, nervorumque medullam: unde aucta univerſalis actio muſculorum.

Ex dictis ſequitur 1°. *evacuatoriam ſanguinis miſſionem*, maſſæ ſanguineæ copiam imminuere, vaſa nimis turgida deplere, partes oppreſſas relaxare, & nimio calore æſtuantes temperare, circulationis libertati favere, ſanguinis attritione, ſubactionique, liberiorem humorum ſecretionem promovere, naturale functionum exercitium reſtituere; unde egregia, multiplicia emolumenta in œconomia animali.

2°. Evacuatoriam ſanguinis miſſionem, ſive ex arteria aut vena, ſive ex magna aut capillari, ſive celeri impetu a continuo rivo aut guttatim fiat, perinde proficuam eſſe, quacumque ratione educatur

ſan-

ſanguis ; liquet ex dictis maſſam quæ corpori ineſt decreſcere pro modo detractæ quantitatis, & decreſcere quidem proportionaliter in omnibus partibus.

3°. Evacuatoriam ſanguinis miſſionem, totius in plethorica plenitudine repeti, cum virium & functionum reſtauratione, donec ſanguinis maſſa ad debitum & naturalem modum redierit, qui pro ætate, ſexu, temperamento, vivendi ratione, corporis magnitudine, varie æſtimari debet.

4°. Sequitur evacuatoriam ſanguinis miſſionem, citra plethoram ullam, fieri poſſe, quin toties iterari, (ſi morbus vigeat) abſque notabili virium læſione, aut functionum detrimento, donec detracta ſanguinis quantitas, æqualis ſit conſumptioni ſanguinis, quam citra noxam is homo jejunus perferret, per ſpiracula cutis perſpiratoria, quæ quoque pro ætate, ſexu, temperamento, vivendi norma, corporis firmitate, plurimum variat.

5°. Demum evacuatoriam ſanguinis miſſionem, ſi modo limites dictos exceſſerit, virium quidem & functionum læſionem inferre, ſed tuto tamen utiliter adminiſtrari poſſe ; ſi magnitudo morbi ita poſtulat ; modo ſanguinis quantitas, quæ in vaſis aliqua futura eſt, ſufficiat perficiendis functionibus, quæ ad vitam ſunt neceſſariæ, nimirum cordis & arteriarum pulſus, & aliquantulæ ſpirituum ſecretiones : hæc etiam quantitas ſanguinis, quæ ad vitam ſufficit, varia eſt pro variis ſubjectis ; ideo nulla certa ratione, ſed attenta obſervatione ægrotantium, definiri poteſt : fidem tamen fere omnem paucitate ſuperat, cum experientia compertum ſit, ægros maximo & diuturno ſanguinis profluvio exhauſtos vitam ducere, imo etiam quandoque convaleſcere.

Quænam ſit utilitas revulſiva S. M.

III. Sanguine 1°. a quacumque vena ſecta actu profluente, minuitur illius cruoris copia, non modo in ſecta, ſed etiam in capillaribus ramis, e quibus coaleſcit, & omnibus partibus unde redeunt : verum manifeſtum eſt ex hydroſtaticis, imminuta cruoris copia in datis canalibus, augeri eadem proportione ipſius ad circulandum libertatem ; Ergo fluente ſanguine e vena qualicumque, augetur circulandi facilitas, libertaſque non modo in aperta, ſed in ramis, ſinguliſque partibus unde originem habent.

2°. Aucta eo modo circulandi libertate in parte, minor pari proportione futura eſt partis reſiſtentia cruori, qui per arteriam ſectæ venæ congenerem fluxurus eſt ; ſed imminuta reſiſtentia, reſpectu ſanguinis per hanc arteriam moti, qui per reliquam arteriam pone ſequitur ad cor uſque, imminuitur pari modo ſanguinis reſiſtentia : Ergo ſanguine e vena ſecta fluente minuitur reſiſtentia, non tantum in arteria venæ ſectæ congenere, ſed in ipſo quoque trunco arteriæ, unde ipſa ſoboleſcit.

3°. Demonſtratur ex hydroſtaticis, ſanguinem, ceteris paribus, protrudi reciproce in arterias ad reſiſtentias, quæ ab arteriis opponuntur, hoc eſt, eo majori quantitate, ceteris paribus, quo minor eſt in arteriis reſiſtentia ; ſed qua proportione ſanguis fluit e vena ſecta, ea proportione minor eſt in arteria ipſi congenere reſiſtentia.

tia. Ergo qua proportione ſanguis e vena mittitur, eadem proportione major ſanguinis copia in correſpondentem arteriam determinatur.

4°. Liquet ex hydroſtaticis, quo majori quantitate ſanguis in unam arteriam pellitur, eo minori in ceteras diſtribui, ſed quando e ſecta vena profluit cruor, in arteriam, venæ congenerem, copioſius, fortiuſque pellitur; Ergo parcius, debiliuſque in ceteras protruditur; itaque ſanguis qui fluxu nimio datam qualemcunque partem premit, diſtendit, inflammat, poteſt facile, propoſito mechaniſmo, in oppoſitam partem, ubi vena tunditur, retrahi, revocari, ſeu, quod idem eſt, revelli.

Ex demonſtratis conſequens eſt. 1°. quamcumque *ſanguinis miſſionem revulſivam* eſſe, cum a partibus, quæ ab aliis arteriis ſanguinem habent, ipſum retrahat: Sic igitur cruoris miſſio, quæ ex malleolo, cubito, jugulari &c. revulſiva eſt. 2°. revulſivam ſanguinis miſſionem triplici ratione revellere, vel ſecundum longitudinem a ſupremis in infimas, ut miſſio in malleolo celebrata; vel ſecundnm laritudinem a dextris in ſiniſtras, vel viceverſa ut in alterutro cubitorum, vel demum ſecundum profunditatem ab internis ad externas partes, ut e jugulari externa in collo. 3°. imo vero miſſionemquamlibet hac triplici ratione revellere ſimul: ſic miſſus ſanguis a jugulari externa ſiniſtri lateris, revellit ſecundum longitudinem a partibus inferioribus, ſecundum latitudinem a latere dextro, ſecundum profunditatem a carotide interna ſeu ab ipſo Encephalo. 4°. miſſionem cruoris eo efficacius revellere, quo in partibus magis oppoſitis, vena tunditur, ſeu quod idem eſt, quo per vaſa magis diſſita, miſſio inſtituitur, ſic venæ ſectio in malleolis potentius, quam in cubitis revellit; hæc vero efficacius quam jugularis.

5°. Revulſionem eo celeriorem & efficaciorem eſſe, quo eſt amplior vena quæ tunditur, quo patentiore foramine aperitur, & quo celerius ſanguinem emittit, imo revulſionem ita celeriorem eſſe, ſi liceret tuto arteriam ſectæ venæ congenerem pertundere, illincque ſanguinem educere.

6°. Revulſivam ſanguinis miſſionem ſimul evacuatoriam eſſe, quamdiu ſanguis actu detrahitur, evacuatoriam vero, ſanguine detracto.

7°. Denique, in quacumque ſanguinis miſſione revulſionis rationem habendam eſſe, hoc eſt, cruorem ex partibus affecto loco oppoſitis eſſe deducendum: ſic ſuperioribus partibus, quæ ab aorta aſcendente ſanguinem habent, morbo laborantibus, venæ pedum; affectis partibus inferioribus, quibus ſanguis ab aorta deſcendente infunditur, venæ brachiorum; inflammato demum dextero vel ſiniſtro thoracis latere, oppoſiti brachii venæ tundendæ ſunt, qua in re decretis Arabum jure adſtipulamur, contra Græcorum doctrinam, qui venam ejuſdem lateris, hoc eſt, ſecundum rectitudinem ſecandam eſſe credebant.

Quænam ſit utilitas derivativæ S. M.

IV. Quamdiu durat 1°. ſanguinis profluvium a ſecta vena, tamdiu continuatur & creſcit impetus ſanguinis per correſpondentem arteriam

riam fluentis; quia durat tamdiu, imo & creſcit libertas circulationis per partes, inter arteriæ, & venæ truncos medias.

2°. Sed occluſa ſemel vena, & ſuppreſſo ſanguinis effluxu, cum ſubito ceſset ea motus facilitas, debent inde partes antea evacuatæ & exinanitæ, ſanguine confeſtim influente, de novo repleri, ſubitamque, cruori pone ſequenti, reſiſtentiam objicere, cujus transfluxum pari proportione retardabunt.

3°. Quin imo perſeverante impetu, jam communicato ſanguini, qui a corde per totam arteriæ longitudinem decurrit, & ſane viget aliquando impetus ille, aliquando etiam, poſt occluſam venam, debet cruor celerius & copioſius inde fluens, a recto tramite, quem antea tenebat, excluſus, in collaterales quoſcumque ramos, divertere copioſius, uberiuſque in proximiores, qui magis obvii, inde parcius, tardiuſque ordine retrogrado in remotiores uſque ad cor.

4°. Itaque ex propoſito mechaniſmo, neceſſum eſt, partes ſingulas, quibus collaterales illæ arteriæ implantantur, in quas ſanguis copioſius divertit, nimia ſanguinis quantitate derivati derepente premi, diſtendi, gravari, in quo tota ratio & utilitas derivatæ ſanguinis miſſionis conſiſtit; ſic ſi vena ſaphæna, quæ a crurali & arteria iliaca ſanguinem habet, ſecetur in pedum alterutro, recluſo vulnere, per aortam inferiorem defluens copioſius, celeriuſque cruor, in uterum illico derivatur per hypogaſtricas & uterinas arterias, quæ iliacæ ſunt collaterales, nimioque ac ſubitaneo acceſſu pigra & torpida catamenia plerumque facile prorumpantur.

Ex his expoſitis facile eſt colligere 1°. *miſſionem ſanguinis*, a quacumque parte inſtituatur, eſſe ſimul *revulſivam*, *derivativam*, & *evacuatoriam*, ſi diverſi temporis habeatur ratio, 2°. revulſivam, quando e vena aperta effluit ſanguis, & tali quidem ordine revulſivam, ut eo potentius & efficacius revellat, quo per remotiores arterias partes unde revellendum eſt cum ſecta vena communicant. 3°. derivativam aliquandiu poſt cruoris profluvium, & tali quidem ordine derivativam ut eo potentius & efficacius derivet, quo partes in quas derivandus eſt, per proximiores arterias cum ſecta vena communionem habent. 4°. demum, evacuatoriam aliquando poſt venæ occluſionem, ubi ſemel connaturalis, proportionata, & æquabilis ſanguinis diſtributio fuerit reſtituta, & eſſe quidem tali ordine evacuatoriam, ut ex partibus quibuſcumque, ſive per vicinas arterias, cum vena ſecta communicantibus proportionaliter evacuet. 5°. Proinde dolente, oppreſſa, diſtenſa, inflammata parte quacumque, venam hanc caute eligendam eſſe ad ſectionem, qua maxima fiat revulſio, & derivatio minima; cum ceteroquin ex quocumque loco, æqualis futura ſit evacuatio. 6°. Itaque culpandam inde vederi Græcorum doctrinam, qui affecto alterutro thoracis latere, ſanguinem ex eadem parte catixim, ſive juxta rectitudinem mittendum cenſebant; quandoquidem hac methodo, nimia futura eſt revulſio, & quam maxima derivatio. 7°. Contra vero Arabum decreta jure ac merito eſſe laudanda, qui nempe affecto latere, venam oppoſiti lateris tundendam eſſe ſuadebant, cum inde maxima fiat revulſio, derivatio vero vel plane nulla, vel ad ſummum quam minima.

Quæ indicent aut contraindicent S. M.

V. Triplicem ſanguinis miſſionis ſpeciem diſtinximus, evacuatoriam nempe, revulſivam, & derivativam, ut ſingulæ ſuas propriaſque utilitates, quas propoſuimus, habeant; ſic ſingulæ ſuis propriis rationibus ſuadentur, permittuntur, & contraindicantur; *evacuatoriam ſanguinis miſſionem indicant*, 1°. aucta cumulata, multiplicata ſanguinis quantitas, ſive plethora legitima, qua vaſa tument, circulatio languet, & ſecretiones torpent. 2°. nimia, orgaſmica, æſtuoſa cruoris rareſcentia, ſeu plethora ſpuria, quæ legitimæ æquipollet, & paria ſymptomata invehit. 3°. oppreſſio, diſtentio, inflammatio cujuſcumque partis, a ſanguine nimio æſtuante, hærente, inſpiſſato &c. 4°. hæmorrhagia pertinacior ex parte qualibet, naribus, utero, hæmorrhoidibus &c. quæ manifeſte arguit vaſorum latera diſruptorum, ab immodica ſanguinis copia hærentis lacerata, aut ejuſdem rarefactione ita diſtrahi, aut dividi, ut coaleſcere nequeant. 5°. evacuationis cujuſdam ſolemnis ſuppreſſio, catameniorum v. g. & hæmorrhoidalis fluxus, unde reliquo ſanguini notabile accedit incrementum, 6°. cacochymia quæ liberiore, citatiore, fortiore eget maſſæ ſanguineæ circulatione, ut partes nocivæ cruori conſulæ, itu, redituque atterantur, & attritæ per colatoria ſecedant, aut per cutis ſpiracula tacite diſſipentur. 7°. neceſſitas ſpatium parandi, ut remedia poſtea adhibenda facilius admitti, & ſingulas partes commodius, promptiuſque diſtribui poſſint.

Revulſivam ſanguinis miſſionem neceſſariam eſſe demonſtrat 1°. tenſio, dolor, oppreſſio, anguſtatio, phlogoſis, inflammatio, abſceſſus partis cujuſcumque particularis. 2°. ſanguinis profluvium ex certis peculiaribuſque determinatis locis manans, ut utero, pulmone, naribus &c. tunc autem perinde utrobique neceſſe eſt, non modo luxuriantem ſanguinis quantitatem minuere, ſed etiam ſanguinem qui in certa vaſa, uberius & impetuoſius influit, quam celerrime & efficaciſſime, aliorſum revulſione divertere.

Denique *derivativam ſanguinis miſſionem* poſtulat ſuppreſſum qualecumque ſanguinis profluvium, ſive naturale ſit, ut menſtruale, ſive ex conſuetudine quaſi naturale factum fuerit, ut hæmorrhoidale: celeriori ſiquidem & uberiori ſanguinis profluvio, quod derivatio in partem advocat, ſuppreſſas evacuationes plerumque reſtitui compertum, modo tamen ſuppreſſio, cui medela quæritur a partis repletione, diſtentione, inflammationeve non dependeat, tunc enim revulſione, nulloque modo derivatione, opus eſt.

Phlebotomiam, ſi indicata ita expoſtulaverint, frequentem, largamque *permittunt*. 1°. ætas vegeta juvenilis, florens. 2°. virium robur integrum. 3°. color cutis, ſed præſertim faciei floridus, & rubicundus. 4°. calor per univerſum corporis habitum æqualiter diffuſus. 5°. pulſus æqualis, plenus, validus. 6°. vita deſes, ſedentaria & otioſa. 7°. vivendi ratio lauta & opipara ex carne, aliiſque eduliis euchymis & polytrophis. 8°. integra, libera viſcera, mollia, & ab omni compreſſione immunia. 9°. nota demum ægrotantis temperies, qua ex natura vel uſu, iteratæ & largioris phlebotomiæ facile patiens eſt.

Hæc

Hæc autem ſingula, ſi rite attendantur, manifeſtæ vel magnam, nimiamque ſanguinis quantitatem vaſis ineſſe, vel validam vim motricem in corde vigere, vel liberam, facilemque per univerſa viſcera celebrari circulationem, unde major, tutiorque in ſecanda vena ſecuritas, arguunt; contra vero ſi 1°. caduca ſit ætas ut in ſenibus decrepitis, aut tenerior ut in infantibus. 2°. ſi infirmæ ſint vires, & ex nativa conſtitutione debiles, vel fractæ, attritæ, prægreſſoque morbo, exercitiiſve immodicis vel venere nimia fuerint exhauſtæ &c. 3°. ſi cutis, præſertim faciei pallens, livida, decolor, bile flava, viridi, nigricante ſuffuſa ſit. 4°. ſi vel continenter, vel per crebra & intervalla iterata, frigeant extrema. 5°. ſi debilis, rarus, mollis, inæqualis, intermittens ſit pulſus. 6°. ſi tenuis, parciorque, ut ex piſcibus, oleribus, fructibus, aliiſque modicis ſuccis, ſeu oligotrophis fuerit victus. 7°. ſi dura, laborioſa, exercitaque agatur vita. 8°. ſi obſtructa, infarcta, ſchirroſaque varia ſint viſcera. 9°. denique ſi infirma, & laxa ſit ægri conſtitutio, nec venæ ſectioni ullatenus aſſueta.

Ex iis enim omnibus colliguntur, vel cruoris paucitas, vel debilitas vis cordis motricis, vel varia impedimenta ſanguini circulanti objecta, quæ ſingula prudentem medicum a larga, nec non frequenti phlebotomia dehortari debent.

Quæ cautelæ ad S. M. neceſſariæ ſint.

VI. Prudentis Medici officium, non modo venæ ſectionis utilitatem, & neceſſitatem perſpectam habere; ſed ea ſimul attendere, quæ ad tempus, modum, quantitatem mittendi ſanguinis ſpectant, aut quæ celebratæ venæ ſectioni ſunt poſtponenda: circa quæ ſequentes inſtituendæ ſunt normæ, ut uſu, experientia, ratione, faciliter comprobantur.

1. Sanguis longe a paſtu mittendus eſt, exinanito ventriculo, ita ut nec chylus a ventriculo cruori amplius ſuggeratur, nec qui jam ſuggeſtus eſt, formam retineat; ceteroquin enim una cum ſanguine, purus educitur chylus, qui cruori extracto, lactis inſtar innatat, inde eſt quod ex uſu horis matutinis, tantumve pomeridianis, venam ſecare ſolemne ſit, quarta ſcilicet, vel quinta hora poſt paſtum; verum tamen ſi affectus vehementer urgeant, ut magna inflammatio, ſubita apoplexia, ſuffocatio vehemens, caſus ex alto, contuſio gravis &c. quacumque diei hora, nulla interpoſita mora, venam aperire licet.

2°. Sedulo in mittendo ſanguine a tempore frigoris cavendum eſt, quod febrili paroxyſmo ſolet præcedere, quoniam ex pulſu debili, ab objectis impedimentis circulationem ſanguineam plurimum tunc retardari liquet; at vero ubi plurimum ſummus aderit calor, in ipſe acceſſionis impetu, tuto & feliciter tunditur vena, cum ſanguis tunc temporis motu celeri circumferatur, omniſque corporis rareſcentia orgaſmo magnopere diſtendantur vaſa, unde urgentior venæ ſectionis neceſſitas; hac itaque in re & experientia duce, jure vulgatam antiquorum opinionem abrogamus, apud quos CELSUS *cap.* 10. *Lib.* 2. *ſanguinem in ipſo febris impetu mittere, hominem jugulare eſt.*

3°. In

3°. In fœminis fluentibus menſtruis, omittenda eſt venæ ſectio, cum evacuationem, quæ naturæ legibus fit, evacuatione alia interturbare temerarium videatur: nihilominus tamen, ſi venæ ſectionem requirat morbus, ut apoplexia, pleutritis, ſuffocatio &c. tuto in ipſo catameniorum fluxu ex ſaphæna pedis alterutrius inſtitui poteſt, cum eo pacto menſtruam evacuationem non imminui, imo potius derivatione augeri, pluries compertum ſit.

4°. Quamquam veteribus aliter viſum fuerit, frequenti tamen obſervatione, venam poſſe (ſi ſymptomatum ita poſtulaverit ratio, vireſque ægrotantis conſentiant) tuto in febribus malignis apparentibus etiam exanthematibus, ſive petechiis, tundi, jam compertum eſt; quod quidem ipſi rationi eſt conſentaneum, cum exanthemata, petechiæ, ceteræque cutis efflorescentiæ, quæ in febribus obſervantur malignis, ſanguinis hærentiæ in cutis contextu leviores ſint, quæ, ut liberior promoveatur circulatio, venæ ſectionem indicare videntur.

5°. Ex vena libera, atque lato vulnere, ſemper mittendus eſt ſanguis, non quod e tenui vena, exiguoque foramine purior tantum educatur ſanguis, ut vulgus imperitum temere arbitratur; ſed quia e magna vena latoque vulnere celeriori impetu, unde major & efficacior revulſio, emittitur ſanguis.

6°. Si ſectionem timeat æger, aut viribus ſit imbecilis, ideoque immineat ſyncopes periculum, jacente in lecto ægrotante ſecanda eſt vena, quoniam ex horizontali decubitu, ſanguinis commodius peragitur circuitus, inde rarior Leipothymia, quin imo, venæ ſemel apertæ faſciam ſtatim inducere, atque ſanguinis miſſionem aliquandiu differre, donec ægrotantis ab omni metu plane vacuus fuerit animus, utiliſſimum erit.

7°. Quod ſi e ſecta vena lentius profluat ſanguis, riſu, tuſſi, ſternutatione, aut iterato muſculorum venam ambientium motu, quique venæ ſectæ in brachio contigui ſunt, concitari poterit motus, quin etiam quandoque brachium in aquam calidam immergere expedit, ut in ſaphænæ ſectione ſolemne eſt, quoniam partis contextum rarefaciens & expandens, citatiorem ſanguinis fluxum advocat calor.

8°. Initio morbi largiores ſanguinis miſſiones inſtitui debent, cum integræ ſunt vires: at in decurſu parcius educendus eſt ſanguis, fractis jam viribus diuturniori morbo, diæta tenuiori, aut prægreſſis venæ ſectionibus; nunquam tamen ad libras tres aut quatuor accedendum eſt, ut ſolebant antiqui, ſed intra libram unam aut ad ſummum ad libram unam & ſemiſſem ſubſiſtendum: ſiquidem venæ ſectionem pluries in die iterare multo ſatius eſt, ſi id morbo conveniens videatur, quam immodicam ſanguinis copiam ſimul & ſemel educendo, ſanguinis circuitum labefactare, gravemque leipothymiam inferre, quæ periculo nuſquam vacat.

9°. Tandem ægrotanti poſt eductum ſanguinem obdormire licet, imo & expedit, cum ſomno citius reſtaurentur vires: contrarium docuiſſe antiquos novimus quidem, qui ſomnum ſecta vena caute & ſollicite prohibebant; ſed id ortum inde credimus, quod cum ſanguinem largiter profunderent, jure metuebant, ne deliquio animi ſub ſomni ſpecie tacite & repente ex improviſo exinaniretur æger.

Cu-

CUCURBITULÆ vitrea ſunt vaſa, forma ventricoſa cucurbitæ inſtar, quæ cuti variis in locis, ad varios uſus, applicantur; aliæ ſine ſcarificatione admoventur, & *ſiccæ*; cum ſcarificatione aliæ, *humidæque* appellantur. *Siccæ* ſi præſcribantur, hæc eſt communiſſima applicandi methodus: cucurbita magnitudinis debitæ, ſtupa rara & accenſa ſemiplena, cuti premendæ affigitur; unde derepente extinguitur ignis, aerque concluſus ſtupæ flamma rarefactus, cito frigore externo condenſatur; qua vero proportione condenſatur aer, eadem proportione cutem orificio cucurbitæ ſubjectam minus premit inſito elaterio; ideoque ſanguis, ceterique humores, qui per confines, vicinaſque partes circulant extra cucurbitam, ac totius atmoſphæræ preſſui ſunt ſubjecti, in eam partem, quæ cucurbita tegitur, ubi minor eſt preſſio, confeſtim irrumpere debent; eamque uberi confluxu in manifeſtum tumorem attollere.

Si vero *humidæ* imperatæ fuerint cucurbitæ, methodo de qua dictum fuit modo, ſicca primum applicatur cucurbita, deinde detracta, tumida, quæ ſubdita erat, levioribus inciſuris diſſecatur pars, eique denuo admovetur cucurbita cum flamma, ut prima vice, ubi primum contentus condenſatur aer, ſanguis ex ſcarificationibus guttatim ſtillans in cucurbitam confluit, quam tandem dimidiam opplet.

Ad indicationes varias, ſingulis fere corporis partibus affigebantur olim cucurbitæ, ſed cum ſucceſſu & ratione omnino carerent, uſu factum eſt ut jam ſcapularum tantum interſtitio, cruribuſque admoveantur, ſicut autem pro ægrotantis ætate, vel robore, vel pro loci natura, cui applicari debent, earum diverſa eſt magnitudo, ſic etiam earum varius eſt numerus, cum modo binæ, modo tres, imo & aliquando affigantur plures: ſiccæ quidem cucurbitulæ nec evacuant quidquam, nec revellunt, itaque ſi quid præſtent, id acceptum debetur dolori quem inferunt, tumefactione ſubitanea cutim diſtrahendo.

Evacuant vero 1°. humidæ, eoque nomine tanquam phlebotomiæ vicariæ laudantur; unde infantibus, ſenibus, ægris morbo debilitatis &c. quibus venam tundere periculum eſt, proſunt. 2°. revellunt evacuando, ſed minimo impetu, quoniam id quod evacuant, quantitate paucum eſt, & ex cutaneis vaſculis lente profluit. 3°. violenta cutis ſcarificatæ diſtractione, dolorem acutum movent, ideoque in affectibus comatoſis, lethargicis, epilepticis, hyſtericis &c. potiſſimum utiles cenſentur.

In cucurbitulis ſiccis tumefactæ parti calida applicantur lintea, quæ ſanguini reſolvendo, qui in parte hæret, conducunt; in humidis vero deterſis prius grumis, ſi e vulneratis locis ſtillet ſanguis, linteo identidem eſt abſtergendus: Ceterum quæ cucurbitis ſubſtractæ fuerunt partes, maculis, ſive vibicibus variis purpureis, vel ſubnigris ſunt interdiſtinctæ, non quidem propter malignam ſanguinis virulentiam, ut male conſcium Medicorum vulgus interdum arbitratur, ſed propter leviora ecchymomata, quæ intra cutem ab hærente, aut extravaſato ſanguine producuntur.

HIRUDINES, ſive SANGUISUGÆ, animalcula ſunt apoda, longa,

lubrica, punctiſque nigris variegata, ore triſulco prædita, lumbricorum ferme æmula: ſed quæ in paluſtribus, aquoſiſque locis vivunt, ſanguinis exſuctioni inſerviunt, eoque fine pluribus olim corporis partibus applicabantur; pudendorum labiis ad menſtrua provocanda, temporibus ad phrenitidem, & maniam, collo ad anginam, pedibus brachiiſve ad peculiares ſanguinis evacuationes &c; at jam rarioris ſunt uſus hirudines, cum perperam & lente admodum evacuent, & in cutaneis tantum vaſculis, neque ullibi admoveri nunc ſolent, niſi cœcis & tumentibus hæmorrhoidibus, qua in re, cautione etiam opus eſt; cum frequens inflammatas hæmorrhoides, ſi ſanguiſugarum morſu male habeantur, gangræna corripi, & tacita ſuppuratione, in ani fiſtulam degenerare, edoceat experientia; hirudines etiam non morſu trifido ſolum, quo partes ſauciant, ſed peculiari quoque virulentia nocere poſſunt, quæ pleriſque inſita eſt, ideoque electione opus eſt: damnantur, quæ capite aut corpore magnæ ſunt, nigræ, cæruleæ, lanuginoſæ, quæ noctu lucent cicindelarum more, quæ in putridis & obſcœnis aquis vivunt: probantur vero tenues, teretes, vivaces, dorſo virides, ventre rubentes, capite parvæ, ex aquis puris, fluentibuſque exemptæ, potiſſimum ſi in aqua limpida aliquandiu fuerint retentæ, ut avidius, tutiuſque ſugant exhauſtæ; electæ & præparatæ hirudines, ſi utiles videantur, pollice duobuſque prioribus digitis, linteo obvolutis, ne elabantur, apprehenſæ, vel arundine aut fiſtula vitrea incluſæ parti applicantur, prius fricatæ & ſcalptæ ad rubedinem uſque, tepidoque lacte, recentive pulli, aut columbæ ſanguine perfuſæ; imo levi aciculæ punctura cruentatæ, ſi neceſſe ſit; hoc artificio facile adhæreſcunt ſanguiſugæ, nec cutim applicatæ ſunt miſſuræ, niſi cruoris plenæ & ſatiatæ, quin imo ſi longior ſanguinis exoptetur evacuatio, cauda forcipe truncanda; ſic enim ad ſatietatem nunquam perveniunt; ſed ex præciſis caudis veluti ſyphonibus ſanguis effluit ſtillatim ad optatam quantitatem; tandem ubi, quantum ſatis erit, extraxerint, ſi ſponte non decidant, vi detrahendæ non ſunt, ne fortaſſe avulſæ violenter, relictique in cute oris aculei inflammationem inferant, ſed olei tartari attactu, aut ſalis, cineriſve aſperſione ſunt ſemovendæ.

Sic itaque liquet quotidiana experientia, 1o. hirudines cuti corporis ſummæ, imo quod magis mirum videtur, levi vaſorum vitreorum quibus concluduntur ſuperficiei ita firmiter adhæreſcere, ut inde niſi ægre avelli nequeant. 2o. intima adhæſione ſanguinem e cute, imo, ſi tenuior ſit cutis, ex partibus ipſi ſuppoſitis educere, quod utrumque phænomenon ex mechanica ſanguiſugarum ſtructura conſequens eſt: quandiu ſcilicet in aquis libere fluitant, forma teretes, oblongæ, capite ſunt acuminatæ, at ubi ſemel partis cui applicantur, ſapore aut humore ſunt allutæ, contrahendo ſeſe decurtant, partes ori appoſitas in tumorem circumquaque inflant, ipſumque os introrſum retrahunt, unde complanatum molle caput exiguam cucurbitam ſatis apte refert, hinc firma hirundinum attactæ parti adhæſio, cum inter eam, earumque caput nullus medius ſit aer, ac proinde mutuæ ſejunctioni preſſione ſua circumpoſitus obſiſtat aer; applicatæ in hunc modum peculiari naturæ inſtinctu triplicem aculeum ex ore exerunt, cutimque alte perfodiunt hirudines, vulnere trifido, per quod e vicinis partibus aere incumbente compreſſis, ſanguis in

hiru-

hirudinum os ubertim confluit, ubi nulla vel minor eſt preſſio: ex dictis ac inde deglutitionis mechaniſmo detrurſus in laxo, oblongo, expanſili & inteſtini inſtar hirudinum ventriculo cumulatur, donec cruoris plenus ſit.

De Indicationibus quæ a Cacochylia oriuntur.

II. Cacochylia eſt vitioſa liquaminum quantitate aut conſiſtentia peccantium collectio in primis viis, ventriculo ſcilicet, & gracilioribus inteſtinis, quæ inſtar genuinichyli, per chyliferas vias ſanguini transfunduntur; vitioſa illa ſuccorum collectio natales ſuas debet, vel alimentorum vitio, quibus veſcimur, vel liquidorum quæ in ventriculum, vel inteſtina multiplici ſcaturigine conflunt.

Vitio quidem alimentorum, ſi cibaria peccent, 1°. quantitate, ut ſi copioſius aut frequentius ingerantur. 2°. qualitate, ſi boni ſucci non ſint. 3°. modo aſſumendi, ut ſi inaſſuetis & intempeſtivis horis, v. g. ante ſomnum, ſtudii tempore comedantur.

Vitio vero fluidorum, quæ ab ore & glandulis ventriculi ipſius in cavum, aut a pancreate, hepate, aut glandulis inteſtinorum Peyerianis in ipſorum ductum proflunt, ſi vitioſa a vitioſo ſanguine generentur, ut in cacochymicis: vel ſi aliena humoris miſcela coinquinentur, bilis v. g. in ictericis, lotii in nephriticis; at vero cacochylia a quacumque cauſa producatur, variam naturali ſani corporis œconomiæ, ac multiplicem inferre ſolet labem, ac numero plurimas accerſere ægritudines, ſive in ventriculo niduletur, ſive in inteſtina profluat, ſive tandem ſanguini commiſceatur.

Si in ventriculo latitet, hujus interiora muco oblinit, inde anorexia, & chylophœorum fluidorum energiam, miſcela caſtrat & infringit, unde indigeſtio, quæ pro alimentorum & ſuccorum natura varia eſt, acida ſcilicet, acido-auſtera, acido-dulcis, bilioſa, nidoroſa, empyreumatica & atrabilaria &c., quæ tunicam ventriculi nerveam premit, vellicat, unde nauſea, ſingultus, cardialgia: putrefactiva, qua turget, fermentatione, bullulas aereas confeſtim dimittit, unde ructus ſapore varii.

Si vero in inteſtina profluat, ipſa vel quantitate gravat, flatulenta rareſcentia ea diſtendit, acrimonia lancinat, unde colica paſſio & Borborygmi, vel ad citatiorem, majoremve motum vermicularem ſollicitat, inteſtina irritando, unde diarrhœa multiplex, bilioſa nempe, ſeroſa, ſtercoroſa, cœliaca &c.

Si tandem ſanguini commiſceatur vel pauca quantitate, tacitoque progreſſu irrepit, quæ nullam cieat turbam, indeque pravis humoribus pedetentim multiplicatis intra ſanguinem gravis inducitur cacochymia, quæ chronicorum quorumcumque morborum proprium eſt, vel copia majori infunditur atque inde febriles excitantur excandeſcentiæ, continuæ quidem, ſi transfluxus ſit continuus, intermittentes vero, ſi intermittens fuerit.

Igitur ut numeroſa morborum cohors, quæ inde impendet, avertatur, utiliſſima eſt cautio, cacochyliæ, quæ intra primas vias colligitur, obviam ire 1°. diæta tenui, qua fiet ut chylopœa fermenta cum ab alio vacent opere in coquendis & ſubigendis cibariorum reliquiis ſemiputridis inſumantur. 2°. vomitione, qua ventriculi per

ſuperiora ejiciantur cruditates. 3°. purgatione, qua per interiora in primis viis deturbentur contenta liquamina. 4o. iterato clyſterum uſu, quo ſubductis craſſioribus fæcibus via fiat ad deſcenſum pone ſequentibus materiis; de diæta quidem ſilebimus, cum præſentis inſtituti non ſit, at cetera ſigillatim examinanda veniunt.

De Vomitione.

Expoſitio mechaniſmi particularis, quo exercetur VOMITIO, ad medicinalem pertinet materiam, ubi natura, emeticorumque vires expenduntur. Attamen, paucis verbis, quædam ſunt exponenda, deinde quæ indicent & contraindicent vomitionem, quæque tandem ad vomitionem utiles ſint cautiones.

De Vomitoriis.

Per VOMITORIA intelligimus omnia medicamenta quorum vi, contenta ventriculi ſurſum in os per gulam projiciuntur: porro vomitus cauſa proxima & immediata eſt ventriculi in contenta compreſſio: hæc autem vel a fibrarum ipſius ventriculi contractione, vel a cauſa externa ventriculi latera valide premente; vel denique ab utroque ſimul oriri poteſt.

Hinc ergo tres dantur vomitus ſpecies: prima eſt ventriculi per ſuperiora violenta evacuatio, ipſius fibrarum contractione procurata; & ad hanc ſpeciem requiritur 1°. materiæ expellendæ aptitudo ad expulſionem. 2°. pylori accurata conſtrictio, orificiique ſuperioris apertura. 3°. ſtomachi diſtenſio, eamque conſequens contractio, quæ a fibris ventriculi ſimul agentibus pendet: Vomitus ejuſmodi ſpeciem agnovere Veteres; hancque revera quandoque fieri (licet negent quidam Neoterici, qui a convulſione muſculorum abdominis omnem oriri vomitum contendunt) vel inde conſtare poteſt, quod ſi corpus pleno ventriculo inflectatur, fiant primo ructus; qui ſolummodo inde oriuntur, quod ſuperius ventriculi orificium aperiatur, non autem a diaphragmatis, muſculorumque abdominis præcedente convulſione.

Atque ſic excitare vomitum ſolent ſequentia. 1o. quodlibet acre topicum ventriculo applicatum. 2°. omnis ventriculi inflammatio, uti contingit in morbis malignis & variolis, nec non a venenis aſſumptis: non tamen quod ventriculus, in ſtatu quietis, ſive dum flaccidus eſt, ad vomitum per inflammationem moveatur; ſed tunc ſolummodo cum aliquid ingeſtum ſit. 3°. inhærens ventriculo ſchirrus. 4°. a quacumque materia nimia & ſubita repletio. 5°. inordinatus ſpirituum animalium motus a re nauſeabunda excitatus, (vel alia de cauſa;) hinc hypochondriaci, hyſtericique ſpaſmi vomitum ciere ſolent. 6°. ventriculi ſpaſmus ab inuſitato corporis motu, ut a vectione in rheda, navigatione, circumgyratione, &c. ortus. 7°. ſympatheticus ventriculi ſpaſmus v. g. in vulneribus capitis, apoplexia ab extravaſato liquido oriunda, nec non in colica, nephritide, &c. qui vero a communicatione nervorum ventriculi, cum partium affectarum nervis oritur ſpaſmus; unde fit etiam, ut omnes fere morbos abdominis comitetur vomitus.

Secun-

Secunda vomitus ſpecies eſt illa, quæ a laterum ventriculi per muſculos obdominis compreſſione contingit; ſiquidem interdum ita convelluntur hi, ut omnia in abdomine contenta valide premantur viſcera; quapropter ſi tunc temporis ventriculi ſuperius aperiatur orificium, neceſſario ſubſequetur vomitus: in hac autem ſpecie vomitus, a propriis muſculis, diaphragmate, & peritonæo ſimul agentibus, valde coarctatur abdominis cavitas: unde ſanguis in toto abdomine plurimum comprimitur; hinc vero in omnibus viſceribus contentis maxime fiunt ſecretiones; quin & aliquando ſanguinea in hepate diſrumpuntur vaſa, unde quidem dira oriuntur ſymptomata: ita quoque ob compreſſionem ſeu reſiſtentiam quam in infimo ventre patitur ſanguis, verſus ſuperiora violenter actus, hæmophtyſin interdum vel apoplexiam parit: porro in hac abdominis compreſſione, ſi ani ſphincteris tanta ſit vis, ut ſuperari nequeat, periſtalticus inteſtinorum motus invertitur nonnumquam, & fit ileos; verum ſi ſuperetur vis iſta, tum fit excretio ſimul per alvum; in qua quidem non ſolum inteſtinorum contenta excluduntur, at etiam liquores ſecreti, & ab omnibus abdominis viſceribus profluentes: ceterum hæc vomitus ſpecies, ſi nimis continuata ſit, ſpeciem primam ut plurimum ſequitur; nervis quippe ſtomachi vellicatis, tandem & etiam abdominis convelluntur muſculi, ob conſenſum ſcilicet per paris octavi nervum.

Tertia vomitus ſpecies eſt ea quæ a fibrarum ventriculi muſculorumque abdominis ſimul fit contractione; hic autem violentiſſimus eſt vomitus.

Jam vero communes trium vomitus ſpecierum cauſæ ſunt ſequentes. 1°. vellicantia fortiora, ſicuti pluma in gula agitata. 2°. omnia quæ ſpiritus animales perturbant, licet in ſtomachum immediate non agant, ut corporis motus inſueti. 3°. ideæ nauſeabundæ. 4°. materies mobilis fluctuans in ventriculo, quæ acris eſt & vellicat. 5°. acre quodlibet in teneribus hominis ſtomacho ingeſtum. 6°. purgantia quæcumque vel aucta doſi, vel teneris propinata. 7°. acria ſanguini commixta, v. g. infuſio tabaci, in qua ſi infantes ad ſcabiem ſanandam (ad quam plurimum valet) laventur, vomitu corripiuntur; ſic etiam infuſiones croci metallorum, hellebori, vitri antimonii &c. in aqua, vino aut lacte; ſi venis injiciantur, primo vertiginem, dein titubationem, paulo poſt nauſeam, ac tandem vomitum producunt; ceterum ſi clyſmatis forma injiciantur vomitoria, ſucceſſum non habent, niſi in iis quibus TULPIANA laxa eſt *valvula*, uti in hominibus debilibus eſſe ſolet.

Ea porro vomitoria ad quinque claſſes ſubſequentes reduci poſſunt.

Prima claſſis omnia corpora nobis nota continet, quæ quidem ea copia ventriculum ingrediuntur, ut eundem nimis impleant, ejuſque fibras omnes diſtendant, atque dorſales in contractionem cogant; quo fit ut conſtringatur pylorus, unde brevi nauſea & vomitus ſubſequuntur: hinc etiam ipſamet aqua copioſe & ſubito ingeſta, vinum itidem, cereviſia, cibi qualeſcumque hoc pacto fiunt vomitoria.

Secunda claſſis omnia quæ fauces, œſophagum, ventriculum aut inteſtina ita laxant & lubricant, ut inde ſtomachi contenta, minimo motu, facile verſus ſuperiora ferantur, complectitur corpora: talia

lia vero ſunt pinguia quælibet, ſæpe & magna copia aſſumpta, modo non ſint acria; ut oleum, cereviſia dulcis, recens, tenax, mulſum, ſyrupi &c.

Tertia claſſis mechanicas includit applicationes quæ, fauces irritando, ventriculi vicinarumque partium fibras in contractiones cient: demonſtrat enim WILLISIUS fauces, pulmones, cor, muſculos intercoſtales, ventriculum, diaphragma, & meſenterium nervos habere ab eadem origine, hinc etiam nervis faucium irritatis, facile omnes enumeratæ convelluntur partes: ita ſi digitus aut pluma faucibus immittatur, vel ſi lingua deprimatur, ſtatim excitatur nauſea, ſi vero continuetur hoc, ſequitur tandem vomitus.

Quarta claſſis quæcumque topice agunt in ipſum ventriculum, irritando ſcilicet eodem fere temporis momento quo deglutita ſunt, continet: ceterum uſus horum convenit iis qui facile vomunt, qui ſatis ſenſilem habent ventriculum, quique in vomitum proni ſunt, & nauſeabundi a ſola repletione: ex his etiam eligi poſſunt conducentia in morbis acutis, & chronicis: inter hæc enim habemus amara, acida, & aromatica.

Quinta claſſis illa continet omnia, quæ ſanguini communicata ſpaſmos univerſales inducunt, ſed qui in ventriculo & inteſtinis ſeſe maxime exerunt: jam vero quæ huc ſpectant remedia per horam unam & ultra in ſanguine hærent, antequam operentur; ſunt autem Io. helleborus albus & niger: quorum priorem, ob ſpaſmos quos inducit violentos, præſcribere non audent Medici prudentiores &c. Ceterum hæc omnia oleo vitrioli digeſta ſuam amittunt vim: porro violenta hæc vomitoria ſi ſanguini venoſo immediate injiciantur, venenoſa ſunt & lethalia: ſiquidem eorum vires in hoc caſu ſatis evincit experimentum WILLISII, cum enim vinum ſtibiatum infuſione imprægnatum in canis robuſti venam jugularem ad ℥ vj. injiciendum curaviſſet, poſt 5 vel 6 circiter horæ minuta, iſte ceſpitare, inter progrediendum titubare, deinque immaniter vomere cœpit. Attamen arbitrari fas ſit (*inquit auctor*) effectum iſtum a pharmaco, cerebrum potius, quam ſtomacum, impetente, excitatum fuiſſe; cum par vomitio poſt linimentum, aut fotum e ſucco aut decocto nicotianæ capiti adhibitum paſſim ſuccedat. [*Hæc* VILLIS, *Pharmaceut. Rational. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 1. *pag.* 54. & 55. *edit. Haganæ.*

Quæ indicent, aut contraindicent Vomitionem.

I. UTILITATES, quas VOMITUS affert, & magnæ & plurimæ ſunt, nam 1°. eo pacto egeruntur quæcumque in ventriculo vitioſa latitant, cum, niſi compreſſo ventriculo, exerceri non poſſit vomitus. 2°. breviſſima via, cum directus œſophagi ductus anfractuoſo inteſtinorum circuitu multo ſit brevior. 3°. via tutiſſima, cum e materiis quæ per œſophagum rejiciuntur, ne gutta quidem in ſanguinem penetrare poſſit; contra vero ſi per inferiora deturbentur, haud pauca liquaminis liquidioris copia in transfluxu ab oſculis venarum lacteārum abſorbetur, unde in ſanguine turba. 4°. efficaciſſima opera, cum quidquid craſſum, viſcidumque internis ventriculi parietibus adhæreſcit, forti expreſſione excernatur. 5°. veternum diſcutitur,

cum

cum validis refluxibus qui ab irritato fiunt ventriculo, agitentur ſpiritus, qui in emporio communi torpent inertes, & ad motum oſcillatorium ſollicitentur fibræ, quæ quietæ feriebantur. 6°. languidior ſanguinis circulatio provocatur, tum validis diaphragmatis muſculorumque epigaſtricorum contractionibus, quæ cruoris motum per aortam & cavam inferiorem urgent, tum concitatis inſpirationibus quæ eumdem motum provocant, & expirationibus quæ citatiori cruoris fluxui a dextro in ſiniſtrum cordis ſinum famulantur. 7°. atteritur, dividiturque craſſior & fibroſior ſanguinis compages, tum validis muſculorum in contractione nitentium ſuccuſſionibus, tum potiſſimum accelerato ſanguinis impetu. 8°. ſolvitur, ſaltemve imminuitur viſcerum abdominalium infarctus, cum ipſorum ſubſtantia, preſſione illa qua exercetur vomitio, fortiter comprimatur. 9°. fœtus piger, mortuuſve & retentæ utero excluduntur ſecundinæ, cum perinde ac ventriculus ipſemet, a contractis muſculis, vim experiatur uterus. 10°, tandem atheromata & ſteatomata, melicerides aut purulenti abceſſus qui in partibus ventriculo, inteſtinis, veſicæ, utero, adſitis & contiguis latent, motu eodem diſrumpuntur, & pus quod continent in confines effundunt cavitates, inde per oppoſita evacuandum emiſſaria.

Quocirca toties *indicatur vomitio*, quoties ex memoratis utilitatibus, una vel plures ſunt neceſſariæ, 1°. ſi vitioſæ putridæque materies quæ ventriculum gravant via brevi, tuta methodo, efficacique opera ſint ejiciendæ. 2°. ſi veternoſus diſcutiendus ſit ſopor. 3°. ſi tardior ſanguinis circulatio promovenda, aut fibroſior alteranda compages. 4°. ſi viſcerum abdominalium, ab hærentia humorum inductus exprimendus ſit infarctus. 5°. ſi pigrior, mortuuſve fœtus excludendus, necnon retentæ ſecundinæ expellendæ. 6°. demum ſi abſceſſus variis abdominis cavitatibus contigui, & pure graves vi erumpendi ſint.

Nequaquam tamen vomitionem allatis ſignis indicari neceſſariam & utilem ſufficit; ſed, an tuta faciliſque ſit, expedit ſimul noſſe, quod ex attenta variorum adjunctorum notitia colligere licet, quorum hæc quæ vomitioni indicatæ conſentiunt, *permittentia*, illa vero quæ diſentiunt, *prohibentia* nuncupantur.

Vomitum quidem *permittit* 1°. virium robur, quod validis muſculorum contractionibus exercendis, & perferendis cardialgiis, vomitionem comitantibus, compar ſit. 2°. laterum firmitas & amplitudo, quæ vehementes & iteratas coſtarum diſtractiones tolerare poſſint. 3°. pulmonum integritas quæ ſanguini impetuoſius irruenti obſiſtere valeat citra ſciſſuram. 4°. naturalis vomendi facilitas, unde vomitionis exercitium parum ſit laborioſum. 5°. expedita ſanguinis circulatio & diſtributio, unde nullus metus ne a ſanguine parum obſequioſo rupturæ vaſis inferantur inter vomendum. 6°. denſa, ſpiſſaque ſanguinis craſis, quæ commode ulterius citra damnum atteri poſſit.

Vetant vero allatis contraria, nimirum 1°. virium debilitas. 2°. pectoris anguſtia. 3°. phthiſica & hæmophtoica pulmonum labes. 4°. connaturalis vomendi difficultas. 5°. plethora nimia. 6°. pulmonum, diaphragmatis, ventriculi, inteſtinorum, viſcerum gravis inflammatio. 7°. cachectica ſanguinis diſſolutio. 8°. immodicum ex utero ſanguinis profluvium.

Ceterum inter ea quæ vomitionem permittunt & vetant, id eſt diſcriminis, quod ut tuta ſit, requiratur abſolutum conditionum omnium complementum, quibus permittitur; contra vero ut periculoſa cenſeatur, unius conditionis ſufficiat defectus.

Quæ cautiones ad vomitionem neceſſariæ ſint.

Delectu opus eſt in ſeligendis vomitoriis, 1°. pro ætate, temperamento, ægrotantis robore, aut morbi natura: *blanda* quidem & *euporiſta* ſunt, aqua tepida cum oleo communi; aqua tepida cum butyro liquato; aqua tepida cum melle diſſoluto &c.; inter *moderata*; quorum uſus communiſſimus eſt & tutus, locum præcipuum tenent vinum emeticum, ſive aqua benedicta *Rulandi* ab ℥. j ad ℥. ij. aut iij. Tartarum ſtibiatum ſolubile a gr. IV. ad x. radix ypecacuanhæ, ſeu radix Braſilienſis pulverata, a ℈. ſ. ad ℈ ij: tandem *vehementiora* emetica ſunt, ſed in urgentiori admodum caſu præſentanea, pulvis algaroth, ſive mercurius vitæ ad gr. vj. & flores antimoniales ad gr. v.

2°. Vomitioni præmittenda eſt Venæ ſectio, ſi ægri vires ferre poſſint, morbique ratio inducias patiatur, hac enim methodo, cum plethora minuatur, liberiorque fiat ſanguinis circulatio, vaſorum præcaventur ruptiones, quæ in vomitionibus non nunquam accidunt.

3°. Vomitoria ſunt præſcribenda matutino tempore poſt ſomnum, tunc enim facile & prompte exercetur vomitio, cum in ventriculo pauca ſint cibaria, quæ emeticorum efficaciam infringant, ſtomachive parietes ab eorumdem actione tutentur.

4°. Ægrotantibus, ſumpto emetico pharmaco, ſomnus eſt interdicendus, ſi liber remedii effectus ſit optandus, neque enim cerebro per ſomnum fatiſcente, motio ventriculo impreſſa commode percipi, nec percepta vomitionem valide moliri poteſt ex ſympathia.

5°. Quamdiu actuale eſt vomitus exercitium, tandiu largus tepeſcentis liquidi potus permittendus, quin imo imperandus eſt, ut ventriculi ſordes dividantur, & vomitio commodius fiat; facilius enim ex pleno, ut ita dicam, gutture evomere, quam e nauſeante ventriculo poſt iteratas cardialgias, niſu ſummo quid paucum egerere; potus autem vomitantibus utiles ſunt, leve decoctum pulli gallinacei junioris, infuſum foliorum thee, foliorum capillorum veneris, cardui benedicti, cruſtave panis toſta in aqua communi.

6°. Purgatio per inferiora vomitui poſtponenda eſt, ut ſordes in ventriculo ſuperſtites educantur, & cacochylia quæ in inteſtinis delapſa eſt, aut illis pridem adhærens evacuetur; in hunc finem cathartica ſubſequenti die, poſt emeticorum uſum adhibere, mos eſt; imo vero, ſi feſtinatione opus ſit, emeticis cathartica adjungere ad potionem eandem, utile eſt; quæ potio emetico-cathartica dicitur.

7°. Poſt copioſum vomitum a remediis una aut altera die abſtinere expedit, modo periculo vacet prolatio, eo ſcilicet animo ut ventriculus diſtractus vomitionis impetu, tonoque naturali debilitatus, quiete reſtituatur.

De Purgatione.

PURGANTIA per alvum, ſunt illa medicamenta, quæ, vivo corpori vel externe vel interne applicata, materiem morboſam per inteſtinum rectum evacuant: Medici ab omni tempore ea vocavere *purgantia*, quæ per inteſtinum ultimum materiam impuram deturbant: per impurum autem intelligebant, quidquid naturæ inimicum erat; & per *naturam* omne quod ad vitam & ſanitatem eſt neceſſarium, i. e. functiones vitales, naturales, & animales bene conſtitutas: ergo materies impura iis erat, quidquid haſce functiones lædit.

Per inteſtina expelli poſſunt corpora valde diverſa, & ex quacumque machinæ noſtræ parte: ſiquidem omnia purgantia minuunt reſiſtentiam in vaſis quæ inteſtinis proxima ſunt, unde atmosphæræ vi eo deducitur plus liquidi; quod fit etiam a contractione, aut elaſticitate vaſorum: ſi vero per violentas purgationes reiteratas valde minuatur reſiſtentia in inteſtinis, omnis lympha ad vaſa eorum inanita deducetur, indeque ejuſdem fiet excretio: quapropter ex omni corporis parte per cathartica expelli lympha poteſt: & hujus copia tanta, ut pene fidem ſuperet, quandoque eſſe poteſt.

Liquida quæ naturaliter in inteſtina deponi ſolebant, indeque in venas per vaſa lactea, vel meſeraicas venas ſecedere, ſi modo recta verſus anum ferantur, excerni poſſunt ad quantitatem librarum iv. aut plus, 12 horarum ſpatio: Ex. gr. deglutiamus per 12 horas omnem noſtram ſalivam, mucum, & liquorem œſophagi, & hæc ad ventriculum medium perveniant, ibi ℥. x circiter conficient, ventriculus autem ℥. xj circiter liquidi ſui ſuppeditabit, tum glandulæ inteſtinales unam, pancreas ℥. xj hepar quoque ſuum reddet: ex quibus omnibus, ſimul ſumptis, habebimus quatuor circiter libras: unde videmus quod totus brevi tempore per alvum expurgari poſſit homo.

Horum nonnulla vi multo minori e corpore quam alia expelluntur; fæces enim a cibo relictæ, motu inteſtinorum periſtaltico facile detruduntur, adeoque vi viſcerum naturali abſque ſtimuli ope expelluntur: jam vero ad liquidum extravaſatum educendum plus requiritur, quam motus periſtalticus; nempe 1°. ut attrahatur in inteſtina: ad quod autem requiritur, 2°. ut vaſa vicina illud recipiant: ad hoc vero iterum, 3°. ut vaſorum iſtorum reſiſtentia minor fiat, quam vis quæ liquidum in eadem impellit: quidquid ergo ſatis minuere poteſt vaſorum reſiſtentiam, efficiet ut in eadem recipiatur liquidum; ſufficienter vero ab aliqua cauſa, quæ vaſa emungit & inanit, minuitur reſiſtentia: hujus autem cauſæ vis major eſſe debet naturali viſcerum vi; nimirum ut vaſa fortiter ſtimulet, & in ſecretionem deducat: ergo major, minorve expulſionis facilitas omnino pendet a varia materiæ expellendæ diſtantia ab inteſtinis: ita ſtercus facilius, quam liquor pancreaticus, hic vero facilius, quam lympha extravaſata, movetur.

Vires expultrices, quæ (uti in præcedentibus patet) pro varia materiæ expellendæ diſtantia, variæ ſunt, omnino a quibuſdam ſtimulis pendent: ſtimuli autem iſti, tales ſunt, ut ſua figura & ſolidita-

ditate quandam creent moleſtiam ; ſic in oculo motum convulſivum ſtatim excitat arena , quo motu comprimuntur glandulæ, & ex iſta compreſſione evacuantur ; unde quoque novo liquido ingreſſus facilis conceditur ; eadem ratione ſe habet purgatio : v. gr. ſi quis ſolo pane albiſſimo veſcens , alvumque quotidie ſemel tantum exonerare ſolitus , panem furfuraceum comederet , tunc ſane bis terve de die , & quidem aliquando cum torminibus alvum jam deponeret ; quia particulæ furfuraceæ, indiſſolubiles ratione ſuæ molis & figuræ , viſcera vellicarent , & in contractiones agerent. Eodem modo operantur etiam alia, ut uvæ &c.

Requiſita ad purgationem.

1°. Videndum jam in genere , quid requiratur , ut expellantur : *Requiſita* porro *ad materiæ expulſionem* ſunt ſex ; nimirum 1o. requiritur , ut aperta ſit via ; per viam autem intelligimus continuam ab ore ad anum uſque cavitatem : hæc vero duplici ratione claudi poteſt, nempe *a mutata ipſius figura* : quod quidem fieri poteſt , ſi una aliam ingrediatur pars , ut in paſſione iliaca ; aut ſi per inflammationem ab aliqua inteſtinorum parte ſeparetur meſenterium ; vel tandem a ſpaſmodico inteſtinorum motu : *a materia quadam inteſtinis hærente* ; v. gr. quando indurantur ſtercora , ope materiæ glutinoſæ, in ſubſtantiam duram & fere lapideam, ut interdum in fœminis, gravidis præſertim , fieri ſolet ; vel cum in inteſtino cœco valvulam ibi poſitam claudens , hæret aliquid duri; vel quando in inteſtinis naſcitur ſchirrus.

2o. Viæ lubricitas : poſuit enim ineffabilis Dei ſapientia in toto inteſtinali tractu ſmegma quoddam , ut fæces , partis liquidioris expreſſione arefactæ, facile perlabi poſſint , nec immobiles maneant , & alicubi hæreant : quod ſi ſmegma illud deſit, adſtringitur tunc alvus ; unde vis quidem major ad fæces detrudendas requiritur : itaque in hoc caſu mel , manna , oleum , ſaccharum , &c. aſſumi debent : hinc in aphthis alvus , quæ tunc temporis ſtrictiſſima eſt , clyſteribus glutinoſis , mellitis , ſaccharatis & ſimilibus , laxa redditur.

3°. Fibrarum muſcularium ſpiralium contractio , quæ inteſtina per totum ipſorum tractum ambiunt, & cum agunt, vaſorum latera verſus centrum urgent ; item fibrarum longitudinalium contractio : nullum enim medicamentum purgans agere poteſt , quin hoſce motus augeat , accelleret , roboretque ſtimulando ; quod quidem ex doloribus, qui a purgantibus oriuntur, patet. 4o. Auctus omnium partium reſpirationi inſervientium motus ; hunc autem auctum dico , quia naturaliter , neque fæces , neque urina expelluntur ſine quadam reſpiratione : hoc enim ex infantibus in utero materno hærentibus patet ; qui ſi , fractis involucris in partu non admodum proſpero , aerem hauriant , alvum deponunt , & defœdant matres ; ceterum videmus, quod cum aliquis alvum deponit, magnam aeris copiam hauriat, ſtatimque glottidem claudat , tum autem rarefactus aer pulmones diſtendit , hique diaphragma deorſum pellunt, interim decem abdominis muſculi ſeſe contrahunt , unde preſſa inteſtina fæces foras expellunt; verum ſimul ac pulmones remittuntur , remittitur etiam

& ab-

& abdomen, definitque fæcum depositio, hinc perspicimus, cur in ægris morituris purgationis effectus frustra expectetur; respiratio quippe deficit tunc temporis.

5°. Materiæ alicujus in ipsis intestinis præsentia.

6o. Hujus materiæ mobilitas, i. e. ut facile propelli queat: hæc vero semper requiruntur, ut purgatio recte procedat; quod si ob unius defectum non succedat, per remedia appropriata tolli debet defectus iste: itaque si via vel schirro, vel inflammatione obstructa sit, adhibenda est venæ sectio: si desit lubricitas, vel melle, vel oleo, vel clysmatibus glutinosis procuranda est: si deficiat musculorum contractio, leni stimulo fructuum horæorum est restituenda: sit vero ab animi deliquio iste oriatur defectus, tum juvant cardiaca: si propter crustas intestinis adnatas impediatur transfluxus, aquæ frigidæ adhibeatur balneum: atque sic quod per poros cutaneos excerni solebat, versus intestina determinabitur, unde solventur crustæ, rectequeprocedet purgatio: si nihil intestinis insit, nihil etiam inde educi potest: hinc hominibus per duos tresve dies jejunantibus non præscribenda est purgatio, quia nullum hoc in casu habitura foret effectum, ob debilem respirationem, materiæque penuriam; si adeo dura sit materia, ut moveri nequeat, per aquæ & olei potum diu continuatum resolvi potest.

Purgantia quædam fibras, partesque intestinorum musculares solummodo irritando agunt; alia vero non prius, quam sanguifera ingrediantur vasa, & cum sanguinis massa permisceantur.

Quædam varios effectus vehementes, ut nauseam, animi deliquium &c. antequam purgent, producunt; hæc autem per totum corpus se dispergere videntur: alia vero istos non producunt effectus, ac proinde non adeo universaliter disperguntur, ac ante dicta; talia porro sunt crystalli tartari: unde patet ab omnibus purgantibus nauseam non producendam, antequam fiat purgatio.

Quæ indicent & contraindicent purgationem.

Evacuat 1°. purgatio, materiasque crudas, vitiosas, & putridas quascumque in primis viis hærentes everret, semiputres cibariorum reliquias, quæ ibidem sunt congestæ, alvi fæces in crassioribus intestinis cumulatas, atque mora induratas: unde auxilium est ad cacochyliam præsentaneum. 2°. Sollicitat jugem, uberem, copiosam secretionem bilis in hepate, succi pancreatici in pancreate, fluidi stomachalis in stomacho, & intestinalis in intestinorum glandulis, iteratis valde & concitatis spirituum influxibus, quos ex sympathiæ legibus in laudata colatoria proritat, unde major & copiosior illorum humorum secretio. 3o. Discutit & resolvit incipientes jecoris & pancreatis infarctus, quatenus humores inertes, torpidos, congestos ad secretionem stimulat. 4°. Corrigendæ humorum cacochymiæ optime conducit, tum quia cacochyliam abstergit, qua cacochymiam foveri infra dicemus, tum quia una cum bile, succo pancreatico, & succo stomachali atque intestinali, quorum excretionem promovet, vitiosa liquamina, quæ cacochymicorum sanguini insunt, plurima simul educit, & expurgat. 5°. Liberiori sanguinis circulationi favet per abdomen, per ventriculum & intestina a restagnantibus materiis com-

compreſſa minus, vicinaque viſcera humoribus ante congeſtis exinanita, unde facilior fit via. 6°. deinde utilis eſt ad affectiones quæ a phlogoſi in inflammatione cerebri, aut immodico ſanguinis confluxu in encephalum dependent; quandoquidem ſanguis eo parcius ad cerebrum aſcendere debet, quo copioſius ad abdomen derivatur. 7°. Sanguinis fluiditatem auget, quoniam plurimæ catharticorum partes in ſanguinem per chyliferas vias adductæ, ſolventium & attenuantium vires gerunt, alterando ex inſita natura, ut ex materia liquet medica. 8°. Curat aut mitigat fluxiones in pectus aut partes quaſcumque capitis, ſive quod inde ſanguinem revellat, ſive quod ſanguinis augeat fluiditatem, qui ideo circuitum liberius complet per partes eaſdem, ſive tandem quod cruoris cacochymiam corrigat, qua plerumque foventur iſtiuſmodi fluxiones.

Inde conſequens eſt catharſim utilem & efficacem eſſe 1°. ad evacuandam ventriculi, & inteſtinorum cacochyliam. 2°. ad copioſam bilis, ſucci pancreatici, fluidorumque ſtomachalis & inteſtinorum ſecretionem ſtimulandam. 3°. ad diſcutiendos jecoris, pancreatis incipientes infarctus. 4°. ad minuendam cruoris cacochymiam. 5°. ad liberiorem cruoris circulationem promovendam per abdominis viſcera, adeoque ad diſſipandas quaſcumque capitis affectiones, ab hærente ſanguine inductas. 6°. ad augendam cruoris fluiditatem. 7°. tandem ad curandas & mitigandas fluxiones in pectus, aut capitis exteriora.

Itaque quoties aderit una ex allatis cauſis, toties *ſuadebitur purgatio*, niſi contra indicans quidpiam obſiſtet, & indicatæ catharſi *repugnet*, qualia ſunt *ſequentia*: 1°. Summa virium debilitas, qualis eſt in iis qui extremo mortis agone verſantur, qui proinde purgantium energiam tolerare non poſſunt: tunc autem infamanda non ſunt ea remedia quæ multis ſalutifera fuerunt. 2°. colliquativa ſanguinis diſſolutio qualis eſt in hecticis, tabidis, phthiſicis confirmatis &c. quæ a purgantium uſu aucta & intenſa ad perfectum gradum & immedicabile cruoris deliquium faceſceret. 3°. ventriculi, inteſtinorumque inflammatio notabilis, quæ purgantium ſtimulis excitata & irritata, aut iteratis partium contractionibus exaſperata in ſuppuratum, vel quod pejus eſt in gangrænam degeneraret. 4°. gravis hæmophthiſis, vel maxima pulmonum inflammatio in peripneumonia, quoniam aucta a catharticis ſanguinis excandeſcentia, & concitato ejuſdem in pulmones confluxu, utroque nomine pulmonaria vaſa, a congeſto ſanguine oppreſſum iri, manifeſtum eſt. 5°. denique immodicum cruoris profluvium ex utero, aut hæmorrhoidibus, quod a valido & frequenti egerendi modo & niſu, qualem purgantia ſollicitant, graviter intenderetur.

Hæc ſane ſingula, ſi intenſa fuerint, & in ſummo vehementiæ gradu, omnem purgationis uſum plane interdicunt; at vero minime ſi moderata ſint aut gravis ſimul inſtet catharſeos neceſſitas, ſiquidem tunc purgandum eſt, ſed mediocrius, moderatiuſque, quæ prudentiæ norma in pluribus aliis caſibus tenenda eſt; ſic expendit mitius & rarius purgare 1°. pueros aut ſenes quam adultos, propter virium imbecillitatem. 2°. prægnantes, quam quæ utero non gerunt, ob abortus periculum. 3°. macilentos, quam obeſos, propter majorem ſanguinis acrimoniam, ſuccique lymphatici parcimoniam. 4°. melan-

cho-

cholicos, quam pituitoſos, propter humoris ſeroſi in ſanguine penuriam. 5o. bilioſos, quam ſanguineos, propter humorum ferociam facilius irritabilem. 6o. æſtivo, quam hyberno tempore, propter graviorem humorum effervescentiam.

Quotuplex ſit purgantium differentia.

III. In genere eſt *gemina* adhibendæ *catharſeos ratio*, vel in forma liquida ſive potione, vel in forma ſicca, ſive pulvere, bolo, pilulis &c; prior purgationis forma alteri præcellit. 1o. quia levior eſt & tutior: nam purgantium particulæ aqueo fluido dilutæ, depoſita ex parte, aut mitigata acrimonia, neque hypercatharſim tam facile movent, neque inteſtinorum ardores, aut phlogoſes excitant. 2o. quia certior eſt, copioſus enim hauſtus potionis, cum nec ventriculi plicis hærere, nec a pituita craſſiori inviſcari poſſit, quod pilulis & pulveribus frequens eſt, ſpem raro fruſtratur, ſed per inteſtina ubertim diſtributus, optatam evacuationem cito molitur. 3o. plerumque efficacior eſt, quia pituita inteſtinis inſtrata, aqueo & tepente latice ſemel diluta, & exſoluta, catharticæ potionis *energiæ facilius deinde obſequitur*, unde recte ait *Divus Senex aphor. 9o. ſect. 11. Corpora quæ purgare volueris, fluxilia prius reddas oportet.*

Quænam materies in ipſis inteſtinis naturaliter & præternaturaliter hærere ſoleat, & quænam verſus ea derivari poſſit, rite perpenſo, cumque multiplex ſit, inde facile patet; medicamentorum, ad illam expellendam deſtinatorum, neceſſario varia eſſe nomina: atque ſic (1) *Eccoprotica* dicuntur, illa quæ ſolummodo alvi fæces, h. e. reliquias ingeſtorum ſtomachi & inteſtinorum naturales expellunt, nec aliquid ex aliis corporis partibus in inteſtina derivant; qualia ſunt ea quæ vias aperiunt; huc ergo pertinent oleoſa, diluentia, & clyſmata; requiritur vero, ut levis aliquis ſtimulus his addatur, prout ſunt ſalina & aromata blanda. (2) *Phlegmagoga* nuncupantur illa, quæ pituitam per alvum educunt: porro phlegma ſive pituitam vitream dixere *veteres*, omne liquidum ſero craſſius, ut eſt mucus narium; itaque ſi ex apparentia deſcribatur, omnis materia ſubalbida, limpida, & tenax inſtar albuminis ovi (quam vero ſtricte magis pituitam vitream vocavere veteres) erit phlegma: quod quidem triplici materia conſtat, nempe 1o. ex materia inquilina ſtomachi morboſa; hæc autem eſt materies nata ex quibuſdam glutinoſis in ſtomacho hærentibus, vel ex villis eminentibus, a liquido illo ventriculi mucoſo per acredinem, & vehementem ſtimulum abraſis. 2o. ex muco deglutito, cujus præſentia in inteſtinis nemini non nota eſt. 3o. ex tali materie per ſtagnationem aut permixtionem producta: ſtagnatione ſiquidem & permixtione mirabiles produci poſſunt maſſæ: prout *videre eſt in* BONETI *Sepulchreto anatomico, cap. de morbis inteſtinorum*: hinc vario opus eſt ſtimulo, ut expurgetur phlegma: quippe ſi mucus ſolummodo naturalis expurgandus ſit, facile eccoproticorum ope eliminari poteſt; ſed ſi homini viſcera ſint debilia, majori ſtimulo indigemus, qualem phlegmagoga ſuppeditant. (3) *Cholagoga* vocantur ea, quæ tanta ſtimulant vi, ut non modo mucum expellant, verum etiam a vaſis meſentericis recepta ſolutionem & motum ſanguinis in hepate augeant, vel ſtimulando

vaſa

vaſa fluxum ſanguinis uberiorem verſus hepar promoveant: talia vero ſunt ſemi-cauſtica; ut ſcammonium, jalappa, mercurius, &c. quæ bilem ex hepate in inteſtina deferunt, indeque expellunt. (4) *Hydragoga* ſunt illa, quæ non tantum bilem, ſed mucum inteſtinalem, ipſumque ſuccum pancreaticum expellunt: idque 1o. impediendo ne quidquam eorum quæ in lactea redire ſolebant, eadem ingrediatur; & hoc fit interdum a leviſſima cauſa: ambulet enim quis ſuo jove frigido, indeque pedibus frigeat; tum illico totum ejus corpus, & glandulæ inteſtinales, ut & abdomen frigore conſtringentur, emungentur ductus excretorii: claudentur vero ductus, quorum ope in ſanguinem deferuntur liquida; hinc ergo prohibebitur refluxus, orienturque ventris tormina, h. e. ſpaſmodicæ contractiones: jam vero promovebitur per inteſtina liquidi trajectus, unde tandem ſeroſæ ſubſequentur evacuationes. 2o. augendo liquidorum, imprimiſque ſucci pancreatici & glandularum inteſtinalium ſecretionem: quod vero fit, minuendo vaſorum ſecretoriorium reſiſtentiam, ſimul & motum liquidi, tum ſpecialis, tum generalis per totum corpus augendo: quæ porro hæc efficiunt, cauſtica ſunt & venena; ut helleborus albus & niger, euphorbium, &c. (5) *Melanagoga* denique ſunt ea, quæ materiem atram per inteſtina educunt: ceterum hæc atra materies vario odore, ſapore, acrimonia & tenacitate, gluten referente, donatur; veteres autem eandem bilem atram vocavere: cum enim talem materiam ab hominibus melancholia, tumidoque liene laborantibus, quibus purgans forte exhibitum erat, dejici obſervarent; inde concludebant iſtam materiem ex aduſto ſanguine eſſe collectam, & in liene, tanquam in cloaca, depoſitam; unde quidem per vaſa huic operi propria, ſed incognita, eandem in inteſtinorum cavitatem deferri voluerunt: notum autem eſt, quod quidquid lien in ſe recipit, idem rurſus per vaſa gaſtroepiploica in venam portarum & hepar remittat; ſi porro ſanguinis e liene effluxus, propter vaſa aliqua de cauſa obſtructa, impeditur, idem ſtagnando coagulatur, aterque evadit; quod ſi tum vehementibus moveatur purgantibus, verſus hepar pellitur, ibique impetum faciens, ſuccuſſione nimirum valida totius corporis, atque muſculorum abdominis (quæ ab enormi purgantis oritur ſtimulo) adjutus, vaſa biliaria vel dilatat, vel rumpit; & hac ratione in inteſtina ſibi viam facit. Ad talem materiam itaque movendam, vi maxima & cauſtica quidem eſt opus, quæ totius corporis tam ſolida, quam fluida turbet, motuſque ſpaſmodicos excitet: hæc autem atra materies non ſolum ex liene, verum etiam ex aliis corporis partibus provenire poteſt, & ſolet: etenim in ipſo hepate eodem modo talis materies a vaſis ruptis colligi poteſt; tum & in pancreatis; poteſt enim a ſanguine, ubicumque in inteſtinis extravaſato, & cum pituita ibidem coaleſcente, conſtitui talis maſſa: hæc vero ultima ſpecies aliquando potis eſt ſolo inteſtinorum motu naturali, ſive per medicamentum eccoproticum aliquantulum auctо, excerni: poteſt quoque bilis atra in hepate collecta, ſola corporis ſuccuſſione, prognata ex ejus inclinatione, aut vectione in rheda, expelli. Hinc autem concludere poſſumus, quod atra bilis quandoque leni cathartico, interdumque non niſi forti, prout magis minuſve ab inteſtinis remota eſt, educatur.

Itaque *delectu* prudenti opus eſt circa purgationis modum, efficaciam,

ciam, naturam &c. quæ ſingulæ plurimum variant pro ægrotantium viribus, temperie, ſexu, ætate, aut pro morbi indole, anni tempeſtate, viſcerum & præcordiorum qualitate, congeſtæ cacochyliæ copia, diuturnaque conſuetudine.

Quæ cautiones ad purgationem neceſſariæ ſint.

IV. Neceſſario purgandum eſt 1°. ſed electis & appoſitis cathartícis quotieſcunque ita poſtulaverint indicationes ſupra propoſitæ, quarum urgentiſſima eſt cacochyliæ congeſtio in primis viis, modo tamen permittant quæ indicatæ catharſi contradicere poſſent. 2°. Sub iiſdem *cautionibus* purgandum eſt in ipſo morbi acuti principio, cum educta confeſtim cacochylia morbifica, morbus inde imminens præcaveatur, incipiens avertatur, factus diſcutiatur, ut ratio & experientia comprobant. Unde recte ait HIPPOCRATES Aphor. 10. ſect. IV. *purgandum eſſe in valde acutis, ſi ad ſui excretionem invitet materia, eo ipſo die, quoniam differre in talibus caſibus, malum eſt.* 3°. Sub iiſdem conditionibus purgandum eſt in morbi acutioris initio, ſive materiæ, quæ in primis viis latent, crudæ ſint, vel coctæ, cum ab iiſdem eliminatis, cujuſcumque naturæ & qualitatis fuerint, emolumentum ſequatur, detrimentum vero maximum immineat, ſi diutius hæreant; itaque recentiorum omnium *authoritate medicorum*, & obſervatione frequenti, ab HIPPOCRATE & GALENO *hac in re* diſcedere audemus, quorum *ille Aphor.* 22°. *ſect.* 1. docet expreſſis terminis: *Concocta purganda, non vero cruda.* Hic vero propoſitum HIPPOCRATIS dogma oraculum appellat *Libr.* 4°. *de tuenda valetudine cap.* 5°. malumuſque in *Aſclepiadis* ſententiam ire, qui omiſſa ſuperſtitioſa materiarum diſtinctione, initio promiſcue, ſineque delectu purgabat. 4°. Sub iiſdem conditionibus promptius, celeriuſque eſt purgandum in morborum principio, ſi materiæ turgeant, orgaſmicaque fermentatione in primis viis exæſtuent, quoniam ab effervefactis materiis, maximum imminet periculum, ne cruori confeſtim infundantur, & conſuſæ turbas cieant quam maximas, cui ſane doctrinæ vel ipſemet HIPPOCRATES ſuffragatur, dum confitetur *aphor. jam laudato*, morborum initio materias etiam crudas purgandas eſſe, ſi turgeant. 5°. Sub iiſdem conditionibus purgandum eſt in morbotum principiis graviorum efficaci pharmaco, quod ſpem non fruſtretur, ſtibiatis v. gr. potione emetico-cathartica, purgante decocto ex ſenna pluries exhibito ptiſanæ inſtar; tunc enim & multa eſt humorum colluvies, quæ in primis viis nidulatur, eaque tenax ac viſcida; quapropter, utraque de cauſa, efficaciori remedio opus eſt. 6°. Sub iiſdem conditionibus purgatio ſæpius iteranda eſt per morbi decurſum, ſed plerumque blandior & benignior, tum quia parcior primarum viarum ſaburra quæ ſupereſt, tenuior, dilutior, faciliuſque obſequioſa eſt. 7°. Si morbus exacerbationes patiatur, eligendum eſt intermiſſionis tempus, tum quia pacato & tepeſcente febrili fervore, levior cruori infertur orgaſmus ab admixtis catharticorum particulis, unde benignior catharſis; tum quia excrementitia fluida quantitate peccantia, quæ cruori inſunt tardius mota, minuſque confuſa, commodius excernuntur per deſtinata cola, unde uberior & efficacior purgatio. 8°. Hora matutina ad purgationem maxime opportuna eſt, tunc enim expleta cibario-

riorum coctione, exinanitoque ventriculo, facilior & expeditior eſt purgantium actio, attamen ſi periculum in mora fuerit, hora quævis apta erit, non in ægrotantibus modo, qui a cibis ſolidioribus abſtinent, ſoliſque juſculis nutriuntur, ſed in aliis etiam quibus ventriculus cibis recens ingeſtis oppletur, modo cathartici vehementia intendatur pro quantitate ciborum, quibus confunditur. 9°. Pridie purgationis parca imperanda eſt cœna, ut die ſequenti magis vacuus ſit ſtomachus, & a narcoticis abſtinendum, ſi fieri commode poſſit, ne inteſtinorum ſenſus inde ſtupefactus purgantium vim eludat, aut infringat. 10°. Sumpto pharmaco interdicendus ſomnus, ſi benigna ſit medicina, ne inefficax fiat ex ſenſu ventriculi, inteſtinorumque per ſomnum hebetato: contra vero permittendus, imo imperandus, ſi vehementior & draſtica fuerit, ut ſomno aliquantulum frangatur. 11°. Ab omni potu abſtinendum eſt, quamdiu medicina quæ forma liquida fuit præſcripta, in ventriculo hæret, quod ex ſpiritibus ructuoſis qui exhalent, facile dignoſcitur; ſecus enim hauſta potio nimium vapeſceret: at vero ſi ſicca forma ſit adhibita, largum aquæ ſubtepidæ hauſtum ſuper affundere expedit, quo diluta citius in actu exeratur. 12°. Verum ubi ſemel medicina in inteſtina profluxerit; hoc eſt ſecunda veſ tertia hora ab aſſumptione, utile eſt juſculum leve & dilutum, ſed copioſum, aut aquam ſubtepidam, aut pane toſto alteratam, aut infuſum thee bibenda offerre, quæ identidem repeti debent, donec purgatio ſit completa: hac enim methodo materiæ cathartico jam deroſæ e ventriculo prompte everruntur, nimiuſque fervor cruori illatus temperatur. 13°. Die purgationis & parcius, leviuſque prandendum eſt, quoniam cruditatum reliquiæ cathartici efficacia ſolutæ & liquefactæ, necdum e ventriculo expreſſæ coctioni multum officiunt. 14°. Propoſitis cautionibus felix eſſe ſolet catharticorum actio, unde utilis purgatio, quæ ægris levamen affert, & quæ pro varia effectus ratione, triplex in genere a recentioribus diſtinguitur; obſcura nempe quæ detracta exigua peccantis humoris copia ægrum parum levat: manifeſta quæ multum vitioſi humoris educit; & completa quæ nihil reliquiarum facit; harum ſigna ſumuntur ex dejectionum quantitate & qualitate, & diverſa ægrotantis euphoria, quam febris mitigatio, ſymptomatum remiſſio, ſomnus facile obrepens, reſtituta appetentia &c. indicant. 15°. Completa purgatio nullo indiget adjumento, cum rem ſola conficiat; manifeſta catharſim iterandam ſuadet, qua reſiduæ exhauriantur cruditates; obſcura demum non modo catharſeos iterationem exigit, ſed & præſentem clyſterum uſum, quibus pigrior alvus ad copioſiores dejectiones ſollicitatur. 16°. Purgationi utili vitioſa opponitur, quæ & ipſa triplex eſt, nimirum irrita, in qua nulla ſuccedit evacuatio, propter minorem remedii efficaciam, aut quantitatem, vel propter viſcidam & tenacem cacochyliæ craſim &c. moleſta quæ nauſea, vomitu, torminibus, jactatione, cardialgia ſtipatur, propter vim deleteriam, aut acriorem pharmaci naturam; ob nimiam congeſtæ cacochyliæ copiam, propter tenaciorem ejuſdem materiæ aut acriorem qualitatem &c. & denique effræna & immodica purgatio, hypercatharſis dicta, quæ non tantum utiles cum noxiis humoribus expurgat, ſed etiam febrem accendit, corpus liquat, convulſionem invehit, rodit inteſtina, ſanguinem profundit, vireſque exſolvit, cauſa repetitur

ex

ex medicamento acriori, maligno, vehementiori, largiori &c. vel ex debili & imbecilla ſumentis natura. 17°. Purgatione irrita, indicatur catharſis alia efficacior, moleſta vero largus ptiſanæ diluentis & edulcorantis aut tenuioris juſculi ex juniori pullo gallinaceo parati hauſtus, vel iterata clyſterum lenientium & anodynorum injectio, denique immoderata uſus frequens oleoſorum, pinguium, inviſcantium, narcoticorum, & medicaminum quæ ex nota materia medica depromi debent.

Quemadmodum *Hyppopotamus venæ ſectionis* primus magiſter extitit, juxta PLINIUM *hiſt. natur. lib. 3°. cap. 27. ſic etiam* CLYSTERUM uſum prima monſtravit *avis Ægypto familiaris* quæ vocatur *ibis* hæc enim ſi eumdem auctorem audiamus, roſtri aduneiitate, eandem ad partem ſe perluit, qua ciborum onera reddi maxime ſalubre eſt; at ſi illa parum comperta videantur, id ſaltem certiſſimum eſt clyſmata uſus eſſe antiquiſſimi in medicina, ac veterem utilitatem nunc etiam retinere conſtanter; quamobrem ne tam commune auxilii genus ſicco pede tranſire videamur, duo ſigillatim expendentur. 1°. *quæ ſit* clyſmatum evacuantium *utilitas*. 2°. *quæ cautiones* ad talium enematum uſum *utiles ſint*.

Quæ ſit utilitas clyſmatum evacuantium.

I. Clyſter 1°. injectus in craſſis inteſtinis, recto, colo, & cœco ſubſiſtit, nec ultra progredi poteſt, cum obſtet valvula quæ ileo pendula eſt; attamen haud exigua ipſius portio vaſis lacteis, quæ a cœco & coli principio originem ducunt, exſugitur, ſanguinique infunditur, inde eſt quod clyſter ex vino inebriet, ex juſculo nutriat, ex cortice peruviano in alcohol redacto febres intermittentes ſanet, quod enema cum diſſoluto laudano ſomnum vel ſoporem conciliet, cum caſſia lotium nigredine inficiat, cum terebenthina odore violaceo urinas perfundat. 2°. clyſter diluens, emolliens, laxans, fœces in craſſis inteſtinis induratas ſolvit, diluit, liquefacit, ad excretionem diſponit; clyſter vero purgans & irritans nerveam tunicam ſtimulando, qua inteſtina veſtiuntur interius, ſiſtalticas eorumdem contractiones ſympathice proritat; itaque clyſter alvum ſubducens, hoc utroque nomine ad copioſiores, & frequentiores dejectiones ſollicitare debet, quamquam diſpari efficacia. 3°. ſubductis fæcibus, quæ craſſa inteſtina mora opplent, via ad deſcenſum paratur pone ſequentibus vitioſis & ſemiputridis liquaminibus, quæ in inteſtinis gracilibus & ventriculo continentur, & retinentur: proinde clyſter alvum ſubducens non modo inteſtina craſſa fæcibus exonerat, ſed cacochyliam quoque, quæ primis viis ineſt, pedetentim expurgat. 4°. inanitis hæc methodo inteſtinis, per molles ipſorum tunicas liberius circulatur ſanguis, ideoque copioſius in meſentericas arterias influit ex aorta deſcendente, aliunde vero iliacæ arteriæ, quæ ab intermedio recto fæcibus gravi & diſtento, ex ſitus vicinia, comprimi ſolent, jam ſui juris factæ, preſſioniſque immunes, appellentem cruorem facilius admittunt; utroque igitur nomine per aortam deſcendentem & copioſius, & celerius promoveri debet ipſe ſanguis, in ratione compoſita tum liberioris ejuſdem circulationis per vacua inteſtina, tum

majoris amplitudinis utriuſque iliacæ. 5°. Sed quo majori quantitate ſanguis in aortam deſcendentem truditur, eo minori copia influit in aortam aſcendentem, illiuſque ramos, qui encephalo, externiſque capitis partibus proſpiciunt, aut abunde fuit explicatum, ubi de miſſione ſanguinis revulſiva; itaque repetita enematum injectione, minui debet quantitas, ſanguiniſque impetus cerebrum, & externas capitis partes qualitercumque opprimentis aut diſtendentis, inde eſt quod clyſteres conducant cephalalgiæ, hemicraniæ, fluxionibus catharroſis, in quaſcumque capitis partes &c. inde eſt quod nitidum & elegantem oris colorem reddant, varos diſcutiant, nimium faciei ruborem, ſive guttam roſaceam diſſipent. 6°. Uſu clyſterum major ſanguinis quantitas ad inteſtina advocatur; unde uberior fit fluidi inteſtinalis ſecretio: uſu eorumdem imminuitur cacochylia qua fermenta chylopœa inficiuntur, & inquinantur, unde deſtinatis muniis, magis inde comparata ſunt; debet proinde alimentorum appetitus utroque nomine reſtitui, vel augeri uſu clyſmatum.

Ex dictis pronum eſt colligere, clyſteres eſſe auxiliorum genera utiliſſima, præſtantiſſima, expeditiſſima ad evacuandas fæces induratas in craſſioribus inteſtinis, ad ſubducendam primarum viarum cacochyliam, ad promovendam per viſcera abdominalia ſanguinis circulationem, ad revellendum cruoris impetum a ſuperioribus partibus, ad augendam demum ciborum appetentiam.

Unde factum eſt 1°. ut omnibus fere affectibus aliquatenus opitulentur, cum in omnibus fæcum craſſamenta educere, utile ſit. 2°. ut opitulentur omni fere morbi tempore, cum forſan nunquam vires tam debilitatæ ſint, ut clyſterem benignum tolerare non poſſint. 3°. ut ceteris remediis generalibus præmittantur, venæ ſectioni quidem, ut exuberiore ſanguinis circulatione, revulſio nec non evacuatio commodius fiant; purgationi vero, ut durioribus fæcibus prius eductis, benignius, ſineque torminibus operetur. 4°. ut pauciori & imperfectæ catharſi, ad everrendas cruditatum reliquias, poſtponantur. 5°. demum ut ipſis menſtruatis & puerperis diluentes & emollientes, imo vero purgantes tuto adminiſtrari poſſint, ſi neceſſum fuerit, fluentibus actu cataméniis & lochiis, cum eorum fluxum, nedum evacuante clyſmate coerceri, ſed e contra nixibus eorum ad egerendum augeri manifeſtum eſt.

Qualis eſſe debeat Clyſmatum uſus.

II. Clyſter evacuans energia triplex eſt. 1°. diluens, ſive emolliens. 2°. purgans. 3°. irritans: diluens quidem ſeu emolliens induratas fæces tantum liquefacit, quæ ſolutæ ſemel ex ſe inde ſollicitant dejectiones; compoſitione multiplex eſt.

℞. Foliorum Malvæ, Parietariæ,
Brancæ urſinæ, Mercurialis, ãã m. j.
Seminis Lini contuſi ℥. ß.
Coque in ſufficienti quantitate aquæ communis; in colaturæ ℔. j. diſſolve.
Mellis Violacei aut Mercurialis,
Olei Liliorum alborum, aa, ℥. j.
Miſce, fiat Clyſter emoliens.

℞. Hor-

℞. Hordei integri, pug. j.
Furfuris macri, m. j.
Coque in ſufficienti quantitate aquæ communis, colaturæ ℔. j. adde
Aceti tantillum.
Fiat Clyſter emolliens.

Purgans vero fæcum craſſamenta non modo citius ſolvit, ſed inteſtina in quæ agit, fortius, validiuſque ad expulſionem ſtimulat.

℞. Decocti emollientis de quo ſupra ℔. j. cui adde
Catholici pro ore,
aut Caſſiæ recenter extractæ,
aut Diapruni, ʒ. j.
Miſce, fiat Clyſter.

℞. Decocti clyſterum communis ℔. j. cui incoque
Foliorum Sennæ, ʒ. iij.
Colaturæ adde
Catholici pro ore ʒ. j.
Miſce, fiat Clyſter.

Irritans demum inteſtina actione vehementiori percellit, unde ejectio copioſior, & validior ad ejectionem niſus.

℞. Decocti communis clyſterum ℔. j,
Adde vini emetici turbidi, ʒ. ii, iij aut iv.
Miſce, fiat clyſter.

Itaque 1°. inter tot & tam diverſas clyſmatum formas, delectu opus eſt, ut clyſter injiciendus, morbi naturæ, ſymptomatum vehementiæ, inteſtinorum ſenſui, fæcum indurationi, ægrotantium imbecillitati, &c. conveniens ſit. 2°. Clyſter moderate tepens admittendus eſt, & per ſemihoram, aut horam integram continendus, ſi commode liceat, ut quidquid impactum hæret, diluat, efficaciuſque everrat. 3°. Clyſter breviori poſt paſtum intervallo immitti non debet, ne ſubducta alvo, cibaria ſtomacho concluſa deturbet, male cocta; ſed horis matutinis, vacuo ventriculo, una aut altera poſt juſculum hora in decumbentibus: 4ª. aut 5ª. a paſtu in ſanis, attamen qualibet injici poteſt hora, ſi urgeat neceſſitas. 4°. Remiſſio febrilis incandeſcentiæ tempus eſt uſui clyſmatum maxime opportunum, cum inteſtinorum fibræ tunc minus ſeniæ, ſolitos motus ſiſtalticos facilius conficiant, ipſæque materiæ minus exſiccatæ facultati expultrici promptius obſequantur. 5°. In ſiniſtro latere eſſe decumbendum, accepto clyſtere, credunt Practicorum alii, ut admiſſus quaſi proprio pondere a recto in colum deſcendat, quod verſus ſiniſtrum renem in ſigmoidea veluti flexura detorqueri notum eſt; alii vero volunt in dextrum latus declinari corpus, ut clyſter in colum, ceteris inteſtinis ſupereminens & ab omni preſſu liberum, liberius prorepat: ſitum hunc utrumque commodum eſſe fatemur, ac utroque commodiorem novimus, horizontalem corporis ſupini, in quo clyſter per

anfractuoſas coli flexiones facili opera diſtribuitur. 6o. Ejecto clyſtere, vel dum actu ejicitur, præbendum eſt juſculum, ſi infirmæ ægri videantur vires, ne in ejectione, vel poſt ejectionem deliquio collabantur. 7o. Quamquam proficuos eſſe doceamus, a frequenti, minuſque utili eorumdem uſu abſtinendum eſt, quandoquidem eorum energiæ alvus nimis aſſueta, naturalibus, ſolitiſque ſtimulis, pigrius inde moveretur, unde aucta conſtipatio. 8o. denique damnandus potiſſimum quotidianus illorum uſus, quo coctionis opificium plurimum ſubvertitur, quare jure culpandum cenſemus nimis frequentem iſto ſæculo matronarum morem, quæ ut nitorem ori concilient, ſemel aut bis in qualibet die, emolliente, aut anodyno enemate ſe proluunt.

De Indicationibus quæ deſumuntur a cacochymia.

III. CACOCHYMIA, ut vox ipſa ſonat, eſt vitioſa pravorum humorum collectio, qui cetero cruori confuſi una latent in vaſis, & communi circulationis motu circumaguntur.

Cumulantur autem humores hujuſmodi intra ſanguinis maſſam *triplici de cauſa.* 1o. Quoniam ex primis viis ſenſim ſanguini transfunduntur ſucci chylacei vitioſi, ſpiſſi, viſcidi, glutinoſi, acidi, aut acido-ſalſi, acres, aut ſalſo-acres, ammoniacales, ſulphurei &c. qui in verum ſanguinem nunquam, vel ægre admodum convertuntur. 2o. Quia chylus a primis viis ſuggeſtus, quanquam in ſe probe coctus, conſtitutuſque ſit, vitio tamen cauſarum, quarum energiæ debetur ſanguificatio, nimirum vis motricis cordis, reſpirationis, circulationis, & fermentativi ſanguinis motus, non poteſt ſanguinis perfecti rationem & naturam adipiſci, ſed in pravos humores degenerat. 3o. Quia humores recrementitii aut excrementitii qui in ſanguine geniti, ſolent inde quoque juxta naturæ leges perpetuo ſecedere per deſtinata cola, vitioſi hærent, & retinentur intra vaſa commixti cruori, quem inquinant, ut ex ſchirro, obſtructione, compreſſione, infarctu, inflammatione patet &c.: proinde conſequens eſt cacochymiam totuplicem obſervatione deprehendi 1o. quotuplex eſt corruptela ſuccorum qui a primis viis in ſanguinem transfluunt. 2o. quotuplex eſt vitium penes qualitatem. 3o. quotuplex eſt natura & indoles humorum recrementitiorum & excrementitiorum qui in ſanguine reſtitant.

Tam diverſa, tamque multiplex cacochymiæ ſpecies non modo multas, variaſque diſcrepantes affectiones inducere debet, vitioſa qualitate (qua de re conſulatur pathologia) ſed etiam exuperante quantitate plurimum nocere, qualiſcumque naturæ fuerit, ut ſequenti enumeratione patebit.

1o. In cocochymicis qui plethora non laborant, vaſa corporis eamdem maſſæ ſanguineæ quantitatem continent ac in bene valentibus: ergo detracta inde colluvie pravorum humorum, minor ſupereſt veri ſanguinis copia, & eo quidem minor eſt, quo major eſt colluviei copia.

2o. Spiritus, qui per corticem cerebri ſecernuntur, proportione veri ſanguinis quantitati reſpondent: ergo quo minor veri ſanguinis erit quantitas, eo parcior ſpirituum futura eſt ſecretio.

3o. Spiritus qui a ſanguine ſecedunt, partes quaſdam vitioſorum humorum, qui cetero cruori fluitant confuſi, debent ſecum avehere, plures,

plures, paucioresve, pro diversa humorum peccantium quantitate vel qualitate: ergo sicut parcior spirituum quantitas, imminutæ veri cruoris quantitati, sic vitiosa illorum qualitas qualitati pravorum humorum cacochymiam inferentium, proportione respondet.

4°. Musculorum motus, cordis ipsius, quod est totius machinæ princeps, ab influentibus fit spiritibus; ergo in cacochymicis fatiscere & imminui debet in ratione composita tum minoris spirituum quantitatis, tum qualitatis eorumdem vitiatæ.

5°. Circulationis impetus æstimatur ex vi cordis contractiva, qua pellitur sanguis; ex systaltico partium motu, quo promovetur pulsus; ex diversa cruoris circulantis fluxilitate, qua causis moventibus facilius obsequitur; debet ergo sanguinis circulatio retardari in cacochymicis in ratione composita imminutæ cordis contractionis, debilitati partium motus systaltici, auctæque sanguinis consistentiæ ex pravorum humorum miscela.

6°. Proindeque lentius circulans sanguis, molles & compressibiles partes, hærendo, opprimere debet, unde viscerum infarctus, pectoris angustia, lassitudo spontanea & gravativa, imo vero œdematosus pedum tumor, faciei, ceterarumque partium, ubi ex situ potissimum stagnat sanguis.

7°. Humorum recrementitiorum a sanguine proportione respondet secretio quantitati sanguinis, celeritati circulationis, colorumque vacuitati: ergo in cacochymicis, in ratione composita minoris sanguinis copiæ, tardioris circulationis, majorisque colorum pressionis decrescere debet.

8°. Recrementa quæ a sanguine secedunt, debent eadem cum illo labe infici; itaque non modo quantitate parciora erunt, sed etiam qualitate minus pura, pro congestæ cacochymiæ ratione.

9°. Inde exercitium functionum omnium, quæ recrementorum ope fiunt, concoctionis præsertim, mancum aut vitiosum futurum est, in composita ratione parcioris recrementorum quantitatis, & vitiatæ eorumdem puritatis.

10°. Fermentatio, qualem admittimus in sanguine vero ac proprie dicto, cruori propria est, jugi spirituum fluxu fovetur, circulationisque impetu intenditur: ergo in cacochymia langueſcere debet in ratione composita minoris veri sanguinis copiæ, tardioris ejusdem circulationis, parcioriſque spirituum influxus: porro tamen id de cacochymia tantum incipiente dictum volumus; contra vero si invetereſcat, subactis, attritis, attenuatis, sensim vitiosis succis, quibus turget sanguis, lenta suboriri tandem solet febris, ut observatione manifestum est.

11°. Floridus oris color, habitus universi corporis debetur quantitati partium globuloso-purpurearum, quæ sanguini insunt, & earumdem extenuationi, quæ circulatione & fermentatione producitur: debet ergo os, totiusque corporis habitus ea proportione in cacochymia decolorari, qua globuloso-purpureæ sanguinis partes & quantitate pauciores sunt, & solito debilius extenuantur circulationis, fermentationisque vitio.

12°. Os vero, ceteraque corporis habitudo vitiosis coloribus, flavo, viridi, plumbeo, nigricante &c. suffundi debent, si pravi humores, qui cacochymiam inferunt coloribus iisdem afficiantur,

13°. Hæmatoſis perfectiſſimum eſt naturæ opificium in animato corpore, ad quod plurima ſymbolum conferunt, ut notum eſt apud Phyſiologos; ergo in cacochymicis multiplici nomine depravari debet. 1°. vitio chyli crudi, ſpiſſi, acidi &c. qui in ventriculo male concoquitur. 2°. ſpirituum, qui a cerebro parcius influunt, penuria. 3°. defectu copiæ veri, laudabiliſque ſanguinis, qui menſtrui vices gerat in ſanguificationis negotio. 4°. circulationis tarditate, quæ cruoris partes atterat & extenuet. 5°. demum languidiori fermentationis motu, qui ſanguinem actu ſubigat.

14°. Inde conſequens eſt cacochymiam, ſi inveteretur ex negligentia, lentas producere febres, continuas, putridas, ardentes, vel in hydropem, aſcitem, leucophlegmatiam, anaſarcam, œdematoſos tumores partium, viſcerum infarctus & ſchirros, vel tandem in immedicabilem cachexiam, cacochymiam, degenerari; refert itaque prudentis Medici qui tot funeſtorum eventuum præſcius ſit, incipienti cacochymiæ tempeſtive mederi, pravos humores, in ſanguine latentes, evacuando vel alterando.

Alterantur 1°. quidem diæta parca & tenui ex eupeptis, euchymiſque alimentis, quæ chylum laudabilioris naturæ, faciliuſque in ſanguinem mutabilem ſuggerant. 2°. reſtituto partium elatere, uberique ſpirituum influxu, equitatione, ruſticatione, exercitio; unde ſanguis per intima melius ſubigitur. 3°. alterantium uſu, quæ tenuiores humores incraſſent, viſcidiores incidant, acidiores corrigant, &c. bina priora auxiliorum genera ad HYGIEINEM pertinent: poſtremum ſuo loco *infra* proponetur, *ubi de vitioſa ſanguinis qualitate*.

Evacuantur vero 1°. diaphoreſi, ſudorificis, diureſi, aliis quibuslibet colatoria aperientibus, quibus viſcerum infarctus reſolvuntur. 2°. blanda ſed iterata catharſi. 3°. fonticulis, ſetaceis, veſicantibus cuti extremæ admotis: de prima remediorum ſpecie *infra* agetur, de altera *ſupra* actum eſt; tertia vero eſt ea cujus tractatus ad præſentem ſpectat locum.

De Fonticulis, Setaceis, et Vesicatoriis.

FONTICULI ſunt ulcuſcula ad certas utilitates pyroticis de induſtria inducta cuti: docet experientia 1°. magnam lymphæ copiam, puris forma, ex iiſdem emitti, quam a ſanguine circulante filtri inſtar ſecernunt, inde ergo vitioſa humorum colluvies, qui ſanguini inſunt, ſeu quod idem eſt, ſenſim minuitur cacochymia.

2°. Jugi illo vitioſæ lymphæ effluxu, ſanguis, per circumpoſita vaſa jam minus diſtenta, facilius movetur: ergo in eadem majori copia pro ratione decreſcentis reſiſtentiæ influit, itaque fonticuli ſanguinem in eam partem, cui ſunt inuſti, derivant.

3°. Hoc artificio ad fonticulos uberius, celeriuſque divertens ſanguis, in oppoſitas partes per collaterales arteriarum ramos, motu tardiori, minorique copia fertur, proinde fonticuli qua proportione ſanguinem, vitioſoſque humores una commixtos, ad ſe derivant, eoſdem eadem proportione ab oppoſitis partibus revellunt; quamobrem, ut de venæ ſectione dictum eſt reſpectu ſanguinis, ſic de fonticulo ſeu de cauterio certum eſt reſpectu cacochymiæ, facultatem triplicem obtinere, evacuatoriam nempe, derivativam, & revulſivam, unde

haud

haud exigua efficacia pollere debet ad curandos, imminuendos, avertendos &c. catharros, rheumatiſmos & alios quoſcumque morbos, qui cacochymia foventur.

Vix ulla eſt corporis pars quæ cauterio commodum non præbeat locum; ſi morbi ratio aut ſedes ita expoſtulaverint; verum tamen præ ceteris locis ſequentibus admoveri ſolet. 1°. occipiti ſive nuchæ, inter primam & ſecundam colli vertebram, ad affectus encephalo inſidentes. 2°. bregmati in cranio, ſive commiſſuræ futuræ utriuſque ſagittalis & coronalis ad affectus eoſdem, & fluxiones quaslibet in varias faciei partes, præſertim in oculos. 3°. intervallo inter ſcapulas, ſpinamque dorſi interjecto, a dextra vel ſiniſtra, imo quandoque ab utraque parte ad eaſdem indicationes. 4°. brachio dextro vel ſiniſtro infra deltoidis inſertionem, aut ad deltoidis latera juxta bicipitem, ad avertendos catharros, qui ad fauces, bronchia, pulmones fiunt. 5°. interno femori inter vaſtum internum & gracilem juxta poſitum, pro lumbagine & affectione iſchiadica, qua de re conſulatur WILLISIUS *Pharmaceutices rationalis parte* 2. *ſect.* 3. *cap.* 4. 6°. denique internæ tibiæ infra flexorum inſertionem, inter os tibiæ & ſuræ poſticos muſculos, ad humorum decubitus cachecticos, ſtrumoſos &c. qui in altera tibia ſunt, diſcutiendos.

Deſtinati fonticuli, vel inciſione, vel uſtione fiunt: prior methodus rarior eſt, quia nimis dura, poſterior vero communior.

Ut quidem inciſione paretur cutis, in electo loco forcipe apprehenditur, & arcte conſtringitur, & baſis apprehenſæ cutis ſcalpello eorbiculatim inciditur, piſum inde vulneri applicatur, excitatuſque fonticulus vulgari methodo tractatur.

Duplex eſt uſtionis ſpecies, vel candente ferro, ſive cauterio actuali, vel cauſtico, eſcharrotico remedio, ſive cauterio potentiali: ferrum candens ſeu ignitum cauterium intra vaginam concluſum, ne aſpectu terreat, parti ptius atramento notatæ levi manu applicatur, ut cutis ſolum comburatur; ſed & illa quaſi crudelior, uſu jam abolevit, operatio. Ad cauterium potentiale paulo majori apparatu opus eſt, parti prius notatæ, & probe deraſæ apponitur emplaſtrum tenax cujuſcumque naturæ, quod in medio ad magnitudinem piſi ſit perforatum, inditur foramini ſufficiens lapidis cauſtici vulgaris particula, ſputo, ſi durior ſit, madefacta, emplaſtrum deinde ſuperimponitur alterum, faſciiſque adſtringitur pars, ut cutim proxime attingat cauterium: poſt horam unam aut alteram, removentur omnia, inuſtaque cruſta, ſive eſchara leviter inciſa butyro illinitur, ut citior prolapſus promoveatur: genito ulcuſculo, piſum, aut cereus globulus inditur, ne coaleſcat; betæ & hederæ ſupra imponitur folium, ne ſicceſcant labia; bibula adjungitur carta, ut purulenta imbibatur ſanies; faſciis obvolvitur pars, ut hæc in ſitu detineantur; Bis tandem aut pluries in die, ne fœtorem contrahant, tetramque mephytim, ſeu quod idem eſt, tetrum odorem ſpargant, renovantur omnia.

Ceterum ad fonticulos inducendos, muſculorum interſtitia caute ſunt eligenda, tum ut commodus retineatur piſum, quod aliunde a contracto muſculo excluderetur, tum ut e vaſis lymphaticis illud copioſius decurrentibus, uberius ſtillet humor; muſculorum autem interſtitia diſtinguere, facile eſt iis, qui ex anatome verum eorumdem ſitum callent.

SETACEUM eſt auxilium fonticulo plane congener, ejuſdemque efficaciæ, quod duobus tantum locis, poſteriori ſcilicet colli parti, & inter ſcapulas applicatur: hæc autem eſt ratio applicandi; a miniſtro ſurſum & deorſum in electo loco apprehenditur cutis, & perpendiculariter duplicata, tranſverſim pungitur acu craſſiori, quæ inſertum funiculum goſſypinum ſubter cutim traducat: exempta acu, ſub cute relinquitur funiculus, quo copioſior puris ex utroque foramine derivetur effluxus; introductum funiculum identidem movere mos eſt; & ex una retrahere parte, ut dilaniata parte purulenta uberius effluat ſanies.

Antiquis ſolemne olim fuit per ſetaceum, loco funiculi goſſypini, funiculum trajicere ex equinis vel porcinis ſetis contextum; unde remedium ſetacei nomen traxit; ſed cum rigidiores illæ ſetæ puuctura multiplici dolorem inferrent perpetuum, gravemque accerſerent inflammationem, neque tamen profluente ſanie facile maderent, ſatius goſſypinum funiculum adhibere viſum eſt, cujus multis nominibus commodior eſt uſus.

Setaceum cujus ope purulenta lympha uberiori fluxu jam prolicitur, cacochymiam, qua turget ſanguis, evacuat, derivat, & revellit eodem plane mechaniſmo ac ipſe fonticulus, unde quaſi fonticuli vicarium eaſdem habet utilitates, iiſdemque prodeſt affectibus.

VESICATORIUM remedium eſt topicum, cum præcedentibus affine, ſimiliſque energiæ, de quo abunde ſupra diximus *parte* 1o. *ſect.* 2a. *cap. de veſicatorio*; unum addidiſſe ſufficit, veſiculas ſive hydatides ichore plenas a veſicantibus in cute excitari, quia ſalſoacria cantharidum miaſmata, ſub epidermide ſenſim inſinuata, fibrillas multiplices, quibus ſubjecta adhæreſcit cutis, dilaniant, & rodunt; unde ubertim illuc ſtillans lympha, tunc cuti male adhæreſcentem cuticulam in veſicoſas hydatides inflat: lymphæ autem fluxus e diſſectis veſiculis, eroſaque cutis ſuperficie, vitioſam lympham, qua inquinatur cruor, evacuat, derivat & revellit; quapropter iiſdem morbis utilia ſunt veſicatoria, quibus *fonticuli* & *ſetacea*; verum cum exareſcente cutis ſuperficie citius manantis lymphæ ceſſet ſcaturigo, debiliore & fugaciore pollent efficacia.

Huc referenda videntur varia USTIONUM genera, quæ apud Antiquos uſitata fuere, & quibus vitioſos humores in parte torpentes, eamque decubitu, acredine, inflammatione male afficientes, ſtillatitio affluxu educere ſatagebant, in morbis deſperatis, & qui cetera eluſerant auxilia; unde *ait* HIPPOCRATES Lib. de affectionibus cap. 30. tit. 12. *urito quocumque loco fuerit dolor: urito autem lino crudo*. Sic quoque Aphor. ultimo ſect. VII. *quæcunque non ſanat medicamentum, ea ſanat ferrum; quæ ferrum non ſanat, ea ignis; quæ ignis non ſanat, ea incurabilia reputari oportet*. Viget etiam nunc uſus ille apud Orientales gentes, Arabes, Indos, qui aſſerunt dolores, affectuſve quoſvis nunquam poſſe tolli citius, quam cauteriis igne actuali inurendis; variis tamen materiis ad iſtiuſmodi cauteria ut ſolent.

Arabes, quique ab Arabibus medicinam mutuati ſunt, *goſſypinum pannum* iſatide ſeu glaſto tinctum (Gallicæ *cotton bleu*) tantum adhibent,

bent, quem in cylindri formam ad ſeſqui pollicis diametri craſſitiem, & longitudinem duorum pollicum, quam arctiſſime obvolutum, loco comburendo apponunt, & incenſa ſummitate ignem ſenſim ſerpere, depaſcique ſinunt; donec in favillam totus abierit & deflagraverit cylindrus; uſtione facta amplius nihil negotii incumbit Chirurgo, quam ut ſtigma inungat quotidie, eſcharamque ad ſuppuratum promoveat.

Brachmanæ quos *Græcia Gymnoſophiſtas* vocabat, ceterique *Gentiles conterranei*, *Malayi*, *Javani*, *Siamenſes*, qui ex eorum inſtitutis ſapiunt, pro cauterio utplurimum *medulla junci*, ibidem in paludibus germinantis, utuntur, qua, oleo ſeſami quo agri abundant, leviter imbuta, uſtionem cutis vulgari modo inſtituunt.

Sinenſes tandem, & qui cum illis ſentiunt, *Japonenſes*, *Coracenſes* ſequentem cauteriſationem celebrant, mobili fomite, quam *moxam* dicunt, cujuſque deſcriptionem paucis proponere viſum eſt, quandoquidem apud quaſdam Europæ nationes, *Anglos* ſcilicet & *Batavos*, invaleſcere cœpit uſus.

Moxa eſt lanugo ſeu ſtupa mollicula, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderate ardens, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota ſit mutata; conficitur ex artemiſiæ latifoliæ Sinenſis adhuc novellæ foliis exſiccatis, longo tempore in aere ſuſpenſis.

Facili artificio conficitur moxæ præparatio: tunduntur 1°. folia ad rudioris ſtupæ mollitiem, dein utraque manu agitantur, aſſidueque fricantur, ut contuſione jam attritæ, decidant in pulviſculum viridem, duriores fibræ, recrementaque membranacea, quibus excuſſis, remanet deſiderata illa inſignis tenuitatis homogenea & tenuiſſima, puriſſimaque lanugo, qua tenellam artemiſiam præ ceteris natura ditare ſtuduit; quod ſi moxa tenuior requiratur, poſſunt carminari pectione, ſicut linum crudum.

Ex moxa in hunc modum præparata efformatur turunda in oblongam, conicamque figuram, quæ ſit altitudinis pene uncialis, & latitudinis paulo minoris in baſi: conus ille loco comburendo imponitur, ſaliva ſub baſi, ut adhæreat, illinitus, igneque admoto accenditur; ſi levior inde fiat uſtio, novus denuo imponitur conus, ac tandem ſtigma ſuperſtes butyro inungitur, vel ſi neceſſum ſit, cepis coctis & contuſis ad ſuppurationem promovetur.

Talis uſtio apud *Sinenſes* pluribus in locis corporis celebratur pro affectu vario, imo vero nonnumquam in loco ab affecta parte non parum remoto, in quo non levem eſſe ſuperſtitionem credimus; ſed in *Europa* moxam rarius etiamnunc adhibitam novimus; & ad ſummum ſequentibus locis, nimirum externo femori in iſchiade; capiti in mania & epilepſia; pedibus, manibuſque in podagra & chiragra; partibus demum dolore rheumatiſmo tentatis, in quibus plerumque ſucceſſu non caruit: verum ut moxa optatis reſpondeat, caute notandum eſt 1°. an dolores a vitioſa humorum ſeroſorum colluvie producantur. 2°. an pars affecta ruboris, ardoris, inflammationis, expers ſit; uſtio enim prodeſt, ſi hæc ita ſint, humores diſcutiendo, ſecus vero nocet, inflammationem atque phlogoſim partis dolore & incendio augendo.

De

De indicationibus therapeuticis quæ a morbo repetuntur.

In pathologia triplicem in genere morbum ſtatuunt quamplurimi, morbum ſcilicet ſolidarum partium, fluidarum, & complicatum, ſeu ex utroque compoſitum: de quibus ſingulis ſeorſim agendum, nempe 1o. de indicationibus quæ a morbis ſolidarum partium. 2o. a morbis fluidarum. 3o. demum a morbis compoſitis deſumuntur.

De indicationibus quæ a morbis partium ſolidarum deducuntur.

Qualem ordinem in Pathologia tenuerunt bene multi in dividendis partium ſolidarum morbis, ſequemur eundem in exponendis indicationibus, quæ inde ſumi poſſunt, quamobrem in quinque partiemur capita, quorum 1um. erit de morbis partium ſimilarium, 2um. de morbis partium organicarum, in conformatione, 3um. de morbis earundem in magnitudine, 4um. de morbis earundem in numero, 5um. denique de morbis in ſitu.

De morbis partium ſimilarium & indicationibus inde deſumendis.

I. Similares ſeu primigeniæ corporis partes & fibræ robore peccant dupliciter, nimirum defectu, & exceſſu; defectu quidem ſi tenuiores, exiliores, laxiores, molliores ſint, neque vi ſufficienti in contractionem nitantur; exceſſu vero, ſi prætermodum craſſeſcant, denſentur, tendantur, nimiſque fiant elaſticæ.

Prius vitium corrigendum eſt 1o. uſu alimentorum euchymorum, & polytrophorum, quæ tenuibus, actuoſis, facile mobilibus conſtant partibus, adeoque calida polleant efficacia; hæc autem augendæ fibrarum firmitati conducunt, & nutritione uberiori, majorique exſiccatione; iſtius modi ſunt panis ſimilagineus bis coctus, caro bovilla, aut vervecina, aſſa, toſta, frixa, aromatibus condita, aviculæ quævis, perdices, capones anniculi, vinum meracum, præſertim apianum vulgo *muſcat*, liquores ardentes, & ſpirituoſi, decoctum caffee & potus chocolatæ. 2o. validioribus exercitiis, ſaltu, curſu, equitatione, luſu pilæ, aliiſque ſimilibus, quibus molliores fibræ ſicceſcunt, diſſipato ſero, & laxiores indurantur vi ea, qua ad intimiorem, auctis muſculorum contractionibus, inducuntur contactum. 3o. diuturnis vigiliis, quibus corporis ſtamina exſiccari, muſculos diutius exerceri, ſpiritus copioſius ſecerni & influere compertum eſt, unde multiplici nomine intenditur fibrarum firmitas, modo tamen medium teneant vigiliæ, neque corporis nimium exſolvant vires. 4o. facili tolerantia frigoris & venti, unde rigeſcunt fibræ, & denſatæ ſtrictius una compinguntur, quæ tanto facilius ſuccedunt, quanto cœlum, quod frigore concretum eſt, tenuius, purius, ſicciuſque fuerit. 5o. Balneo aut embroche aquarum thermalium, vel ammochaſia, hoc eſt, corporis immerſione in ſiccam maris arenam, calentem, aggeſtam; inde enim fibrarum ſolidatur contextus, tonus firmatur, augeturque elaterium. 6o. demum pycnoticis remediis, ſive denſantibus, ſtypticis, ſive adſtringentibus, auſteris, acido-auſteris, acerbis &c. quæ fibras laxiores conſtipent & denſent; talia ſunt inter vegetantia, *radices* biſtortæ,

fili-

filicis, tormentillæ; *folia* myrthi, cupreſſi, quercus, ſumach ſive Rhus myrthifoliæ, burſæ paſtoris, equiſeti, plantaginis, pimpinellæ, *flores* roſarum rubrarum, balauſtia, *fructus* myrtilli, nuces cupreſſi, glandes quercus, gallæ, meſpila, ſorba, cydonia, capulæ glandium, *cortices* tamariſci, ſumach, malicorium, *ſucci* Acaciæ, hypocyſtidis, gummi maſtiche, ſanguis draconis: talia vero inter mineralia ſunt, alumen, vitriolum in colcothar calcinatum, mars adſtringens, bolus armena: Ex quibus pro Medicorum prudentia varie combinatis infinitæ fiunt medicamentorum formulæ, ptiſanæ, julepi, balnea, fomenta, injectiones, gargariſmata, opiatæ, linimenta &c.

Vitium vero poſterius emendandum ratione contraria 1°. uſu alimentorum emollientium, & humectantium, quæ fibras duriores relaxant, ſiccioreſque humefiant: iſtiuſmodi ſunt panis tener ſecalinus vel hordeaceus, caro elixa, vitulina, agnina, pulli, & capones juniores, offæ, jura, dilutiores cremores ex oryza, avena, hordeo; olera molliſſima, beta, cichoreum, endivia, lactuca, portulaca, ſpinachia; fructus horæi, aquoſi, maturi, dulces, aut acido dulces, fraga, aurantia mala, ceraſa dulcia, poma, pruna, uvæ albæ, nigræ, cucumer, melones; potus ex aqua fluviatili vel fontana cocta, ex decocta hordei & graminis, ex vino oligophoro, gallice *vin leger*, pauco, temperato, uſu infuſi herbæ thee &c. 2°. vita otioſa, molli, ſedentaria, ſomnolenta, qua torpidæ & inertes fibræ partium ſenſim flaceſcant, & relaxentur. 3°. calore externo humido & vaporoſo, uſu cœli humidi, & nebuloſi, frequenti balneatione in aqua fluviatili tepente, fomento ex decocto aqueo, molli, laxante, inunctione ſive linimento ex oleis, pinguibus, adipoſis &c. unde molliores & ductiliores fiunt fibræ. 4°. demum remediis chalaſticis, ſive relaxantibus, & malacticis, ſive emollientibus, quæ infuſo humore aqueo inſulſo, mucilaginoſo, oleoſo, fibras nimium tenſas & elaſticas remittant; ad hunc ſcopum pertinent e vegetali regno *radices* malvæ, althææ, liliorum, nymphææ, ficus pingues, uvæ paſſæ, jujubæ, olea amygdalarum dulcium, olivarum, liliorum, lini; ex animali vero butyrum recens non ſalitum, adeps volucrum, anatis, anſeris, caponum, medullæ cervinæ, vitulinæ &c. ex quibus varie commixtis præſcribi ſolent ptiſanæ, juſcula, apozemata, balnea, fotus, litus, injectiones, clyſteres, gargariſmata, prout emolliendæ ſunt vel univerſæ totius corporis fibræ, vel ſingularis partis cujuſdam particulares.

De morbis partium organicarum in conformatione & eorumdem indicationibus.

II. Partes organicæ tripliciter peccant, conformatione nimirum in figura, ſuperficie, & meatibus; duo priora conformationis vitia ſub eodem articulo comprehendemus, tertium vero altero complectemur.

De vitiosa partium organicarum conformatione penes figuram & superficiem.

1. Connaturalis partium figura vitiatur 1. luxatione, subluxatione, ossium fractura, quibus consistunt. 2o. tuberculis, tumoribus quibuscumque juxta enatis. 3o. hærentia crassioris lymphæ inter mollia, & cellulosa ossium capita in pueris, unde distorsio varia & multiplex qualis in rachiticis & strumosis: si primum, ossa luxata, subluxata, fracta in locum reponenda, semelque reposita sunt retinenda juxta methodum infra tradendam, *ubi de mutato partium situ*: si alterum hærentes, impacti & indurati humores, qui tubercula, tumoresque pariunt, aperientibus & resolventibus efficaciter discutiendi sunt, vel si male succedat discussio, maturantibus in suppurationem convertendi, ut, *ubi de vitiosa partium magnitudine*, docebitur; si tertium tandem, viscidior, spissiorque lympha ossium capita hærendo tumefaciat, debitæ fluxilitati reddenda est, solvendo, alterando, attenuando multiplici remediorum genere, qualia crasso sanguini conducunt, quæ *infra* proponentur, *ubi de crassa sanguinis diathesi*; sed a qualicumque causa partium deformatio dependeat, machinamenta commode aptare expedit, quæ partium statum tueantur, gliscentique obnitantur deformitati.

Cum autem varia & multiplex sit, partium quæ deformantur natura & conditio; varia quoque sunt machinamentorum genera „ quæ huic conducunt indicationi; sic si spinæ dorsi gibbæ turneant, ut in gibbosis, aut sternum antrorsum in cuspidem feratur, ut in rachiticis, applicanda est thoraci laminis balænæ lorva corneis, imo ferreis armata, si opus fuerit; si brachiorum inæquali nutritione contorqueantur ossa, brachialibus lamellis iisdem instructis, munienda sunt; sed membratim pro articulorum ratione plicatilibus: sic crura, si genito, vel adventitio vitio, scamba, scaura, valga, vara sint, admotis ocreis ad debitam formam sensim revocanda: demum si introrsum compernes sint pedes, usu catestarum lignearum, quibus intruduntur, extrorsum sunt divaricandi; aliaque plurima in usum advocari possunt, sed quæ pro varia causarum natura Chirurgus vel Medicus machinalis scientiæ gnarus facile comminiscetur; cauto tamen opus est, ut adhibita machinamenta non distorqueant membra, arctius stringendo, ne ideo dum labem leviorem emendare animus est, gravior accersatur; qua in re a plurimis fuisse peccatum novimus.

Sic docet experientia liberos magnatum, qui eleganti ipsorum structuræ arte varia lenocinari anxie satagunt, plerumque dorsi gibbis, vel crurum vitiis majoribus deformari, quam rusticorum liberos, qui rem totam naturæ commitunt.

2o. Partium vitiose afficitur superficies, si quæ lævis, aspera; & si quæ aspera esse debet, lævis fiat: aspera quidem fit partium superficies 1o. glandularum granosarum, quibus consita est, tumefactione, & tunc resolventibus & discutientibus opus est, quæ materias parti impactas dissipent, ut *infra*, *ubi de vitiosa partium magnitudine*. 2o. inæquali fibrarum, quibus contexitur, rigiditate & exsiccatione, quæ emollientibus & relaxantibus corrigi debent, qua-

lia

lia ſunt quæ *ſupra* præſcripſimus *ad fibras duriores*, *nimiumque tenſas*, contra vero lævis vitioſe afficitur immodica fibrillarum, quibus conſtat, mollitie, & laxitate, quæ ut emendentur, contrariis opus habent remediis, conſtipantibus ſcilicet & adſtringentibus, qualia *ad molles & atonas fibras* ſupra propoſuimus.

De vitioſa partium organicarum conformatione penes meatus & poros.

2. Meatus, porique partium vitioſe ſe habent tripliciter 1°. ſi diſtorti. 2°. ſi dilatati. 3°. ſi coarctati præter naturam ſint, ita ut ſolita munia male exerceant; attamen cum cauſæ diſtorſionis cum cauſis compreſſionem inferentibus fere coincidant, adeoque ſimilia indicent auxilia, duo poſtrema meatuum expendiſſe ſufficerit, pororumque vitia.

1°. Dilatatio, amplitudoque pororum morboſa & ductuum quorumcumque vel primario dependet, vel ſecundario fovetur ab inertia, mollitie, fibrarumque quibus contexuntur laxitate, quæ cum levi niſu inter ſe cohæreant, ultra tonum levioribus cauſis diduci ſe patiuntur: huic igitur pororum vitio, meatuumque, exſiccantibus, conſtipantibus, & adſtringentibus remediis, qualia ſupra propoſuimus *ad fibrarum laxitatem*, eſt occurrendum, & ut majori polleant efficacia, ſedulo advertendum eſt, ut affectæ parti immediate applicentur, ſi externa ſit; ſi vero interna, ita adhibeantur, ut ad eamdem, quam commodiſſime fieri poterit, efficaciter deriventur.

2°. Pororum coarctatio, effectus quidem congener eſt, ſimilemque circulantium humorum hærentiam producit, ſed ratione cauſæ varia eſt & multiplex eſt, 1°. nimirum obſtructio. 2°. compreſſio. 3°. anguſtatio. 4°. conſtrictio. 5°. collapſus. 6°. coalitus.

1°. Cum ab humore quovis glutinoſo, viſcido, pingui, purulento, tenuioribus ductibus impacto & inhærente, ut in viſcerum obſtructionibus, fiat *obſtructio*: vel a corpore duriore intruſo, ut in urethræ obſtructione ab urinario calculo, duo indicat 1°. emollientium, humectantium, relaxantium uſum, ut ſunt balnea, ſemicupia, fomenta, linimenta, ceteraque omnia externa & interna, quæ ad ſicciores & rigidiores fibras ſupra propoſita fuere: inde enim tunc materia impacta ſenſim diluitur, molleſcit, magis obſequioſa fit, ſi ita ferat naturæ ratio; tum quod præſtantius eſt fibræ ductuum relaxantur, hærentiſque materiæ transfluxum facilius permittunt. 2°. uſum attenuantium, incidentium, aperientium, qualia infra proponentur *ad craſſam ſanguinis diatheſim*; inde enim tenuior, fluxilior, copioſior humor illabetur obſtructis ductibus qui materiam hærentem & impactam vel pedetentium liquefacit, majorive momento antrorſum protrudit, unde conſueta vaſorum inſtaurabitur permeabilitas.

2°. *Compreſſio* ductibus lateraliter illata, ut multas, variaſque cauſas agnoſcere poteſt, ſic diverſis indicationibus locum dat: ſi ab oſſe fracto, vel luxato fiat, ſyntheſi opus eſt, qua loco naturali reddatur os, ac in eo apta retineatur de ligatione, ut infra explicabitur, *ubi de mutato partium ſitu*; ſi a ſquammis oſſis ictu comminuti, ſeu alphitidon fracti, ſeu a glande plumbea ſclopeto emiſſa, corporique intruſa, vel a duro quocumque corpore infixo producatur,

tur, debent illa corpora prementia exereſi quam citiſſime inde eximi plaga quidem quæ jam adeſt, modo ex ſe pateat, ſatiſque commoda ſit, vel plaga ex arte dilatata, ſi ſtrictior fuerit, vel demum inciſione quæ in loco declivi & convenienti de novo inſtituatur; ſi a tumore vel tuberculo quocumque vaſi adnato pendeat, materia ibidem impacta quæ tumorem parit, vel reſolventibus diſcutienda eſt, vel ad ſuppurationem deducenda maturantibus, quemadmodum infra docebimus, *ubi de aucta partium magnitudine, ſive de tumoribus*; tandem ſi a ſanguiferis vaſis, quæ per partis ſubſtantiam repunt, contento cruore ultra tonum turgidis inferatur, nimia ſanguinis congeſtio, evacuatoriis, remulſiviſque venæ ſectionibus, ut ſupra, ubi *de plethora*, minuenda eſt.

3°. *Anguſtatio* qualis fit a tuberculo, phymate, caruncula &c. interno ductuum parieti obortis, triplici auxiliorum genere emendanda eſt, 1°. reſolventibus internis & externis, quæ materiam in tumefacta parte hærentem diſcutiunt, qua de re conſulatur caput ſequens. 2°. cathæreticis & exedentibus quæ ſummo ſpecillo (id eſt *ſonde de Chirurgien*) carunculæ & tuberculo applicantur, ut in venereis virgæ carunculis ſolemne eſt, quamquam minimo ſucceſſu. 3°. ſpecillis ex cerea candela, ex tela contorta, ex plumbo vi adactis, initio quidem exilioribus, ſed dein gradario ordine majoribus & craſſioribus, ut ea methodo ductus amplitudo pedetentium dilatetur, quod ſane in urethræ obſtructionibus, quæ e male curatis gonorrhœis plerumque ſuccedunt, ſpecificum eſt.

4°. *Conſtrictioni*, ſi fiat nimia fibrarum ariditate, auctoque earum elaterio, conducunt emollientia, humectantia, relaxantia, qualia *ſupra* propoſuimus *ad nimiam fibrarum firmitatem*; eidem vero, ſi a nimia & convulſiva fibrarum contractione inferatur, ut in hyſtericis, proſunt antiſpaſmodica, qualia *infra ad curationem motuum ſpaſmodicorum mitigatoriam* proponemus.

5°. *Collapſus* ſi debeatur fibrarum laxitati, & inertiæ, exſiccantibus, conſtipantibus, adſtringentibus corrigendus eſt, qualia *molliori-bus fibris* convenire modo diximus: ſi vero a ſpirituum influentium penuria producatur, utilia futura ſunt cardiaca, ſpirituoſa, quibus ſpirituum motum & energiam inſtaurari *infra*, *ubi de indicationibus conſervatoriis*, probabimus.

6°. Demum *coalitus* qui vaſis internis accidit, rara eſt & immedicabilis affectio: ſi vero contingat ductibus, qui extrorſum pateant, ſectione, ut *infra* videbitur, *ubi de vitioſa partium connexione*, curabitur.

De morbis partium organicarum in magnitudine, & indicationibus inde ſumendis.

III. Vitium magnitudinis in exceſſu, vel defectu conſiſtit; in exceſſu quidem, ſi magnitudo naturali major; in defectu vero, ſi minor ſit; utrumque modo ad totum corpus, modo ad unam peculiarem corporis partem ſpectat; hinc quatuor ſunt ſigillatim exponenda.

Auctæ partis peculiaris debetur magnitudo, vel connato conformationis vitio, ut in iis qui caput pergrande, aut naſum turpiter ob-

oblongum habent; tuncque plane eſt immedicabilis; vel præternaturali humorum congeſtioni intra partis contextum, & tunc pro humorum natura, varia indicat auxilia, ſicut pro ratione eorumdem varia ſortitur nomina; ſi a ſanguine dicitur phlegmone; œdema ſi a ſero vel lympha tenui, ſchirrus ſi a lympha craſſiori, vel a recrementitiis quibuſcumque fluidis; abſceſſus denique ſi a pure producatur; his adjungi debet hyperſarcoſis; ſive excreſcentia carnea, & exoſtoſis ſive oſſis excreſcentia.

1°. *Phlegmone* quidem ſive inflammatio, ſi calore, rubore, dolore pulſatili, tenſione, renitentia, tumoriſque circumſcriptione gravis ſit; indicat 1°. diætam tenuem, levem, refrigerantem, ex ſolis juſculis, offis, panatellis, cremoribus dilutis ptiſana refrigerante, aliiſque id genus, quibus neque ſanguinis quantitas immoderatius augeri, neque ejuſdem prætermodum intendi poſſit fermentatio. 2°. iteratas, largaſque ſanguinis miſſiones, tum evacuatorias, tum revulſivas, quæ maſſæ ſanguineæ quantitatem exhauriant, ſimulque impetum, quo ad affectum confluit locum, avertant. 3°. catharſim pro morbi vehementia, febriſque intenſione, magis vel minus efficacem, ut cacochylia in primis viis cumulata quæ febrilem orgaſmum, adeoque phlegmonem fovet, avertatur. 4°. topica emollientia, temperantia, anodyna, inflammatæ parti ſunt admovenda, ut mitigetur dolor, immodicaque relaxetur tenſio; multifariam autem admoveri ſolent fotus, vel quod uſu communiſſimum eſt, cataplaſmatis forma.

℞. Rad. Alth. & Lilior. alb. ana, ℥. j.
Fol. Malvæ, man. j.
Sem. Lini cont. ℥. ij.
Fl. Violar., Melilot. ana, pug. ij.
Coque in ſ. q. Aquæ communis; colatura foveatur pars tepide cum linteis quadruplicatis.

℞. Lactis Caprini q. s.
Micæ panis albi ℔. j.
Coque ad cataplaſmatis conſiſtentiam, addendo ſub finem
Croci Or. in alcohol redact. ℈, j.
Vitell. Ovorum num. j.
Olei roſacei ℥. j.
Fiat Cataplaſma identidem renovandum.

℞. Lactis caprini ſ. q. foveatur pars ſecundum eamdem methodum

5°. Sedato ſemel dolore, partiſque calore adhiberi debent reſolventia, quæ ſanguinis hærentiam ſenſim diſcutiant, iſtiuſmodi ſunt ſpiritus vini ſolus, vel camphora, ſaleque ammoniaco alteratus: cataplaſma ex foliis ebuli ſub cineribus coctis, vinique ſpiritu imbutis: panatella ex mica panis, vinoque rubro una coctis confecta: folia parietariæ in mortario contuſa, preſſaque, dein ſpiritu vini madida, magmatis inſtar applicata. 6°. Demum ſi in ſuppuratum manifeſte vergat phlegmone, ut ex pulſatione, rubore, calore, tenſione pertinaci facile eſt conjicere, ad maturantia & ſuppurantia eſt recurrendum, quæ ſuppurationem adjuvent, & ad exteriora advocent; at vero rejecto emplaſtrorum uſu, quæ poros cutis conſtipando, noxia

ſunt,

ſunt, cataplaſma ex fermento, vetere ſolo, ex limacibus contuſis cum fermento, ex foliis acetoſæ ad putrilaginem coctis, addito butyro, unguentoque baſilico apponere præſtat; vel tandem ex variis emollientibus & ſuppurantibus, quale eſt ſequens.

℞. Fol. Parietariæ, Brancæ Urſinæ & Acetoſæ, ana, man. j.
Coque ſub cineribus ad putrilaginem; pulpæ per ſetaceum trajectæ adde
Ceparum albarum ſub ciner. coctarum vel Rad. Liliorum alborum ſimili modo coct. ℥. j.
Contuſis & ſubactis omnibus, adde
Fermenti vet. Ung. Baſilic. ana, ℥. j.
Olei Liliorum alborum. q. ſ.
Fiat Cataplaſmatis maſſa.

2°. *Oedemati* vero, quod cuicumque corporis parti inciderit, ſi mole magnum, extenſione latum, ſimptomatibuſque grave ſit, ſequentia conducunt auxilia. 1°. purgatio ſæpius repetita, mirifice efficax hydragoga, quæ ſerum parti imbibitum per alvum educat: ideo ſolemne eſt blandioribus, magiſque uſitatis purgantibus, ſennæ v.g. rhabarbar., caſſiæ, mannæ calabrinæ, hydragoga potentiora, ut jalappa, diagrydium ſulphur turpethum, mechoacanna &c. addere. 2°. juſcula vel apozemata aperientia, purgantia, diuretica, quæ ſerum in ſanguine luxurians exhauriant, quin imo ptiſanæ aperientes ex ferro rubiginoſo; diureticæ ex radicibus petroſelini, eryngii &c. aut infuſis millepedibus recentibus, ac tandem ſudorificæ ex ligno ſancto, ſalſaparilla parata, 3°. topica quæ ſerum potenter reſolvunt, & diſcutiunt, inter quæ eminent ſpiritus vini ſolus, aut cum ſpiritu ſalis ammoniaci permixtus: urina calens ſola, vel ſpiritu vini aut aqua calcis confuſa; folia ebuli cocta, contuſa, ſpirituque vini, aquave calcis madentia: ſarmentorum lixivium, embroche aquarum thermalium, ammochoſia, aut arenæ marinæ ferventis applicatio.

3°, *Schirro* duro, renitenti, ab impacta materia dudum genito, multa competunt auxiliorum genera, ſed quæ tamen optatis raro ſatisfaciunt. 1°. tum ut facilior per ſchirri confinia fiat circulatio, tum ut aperientium energiam tolerare poſſit cruor, citra nimium orgaſmum, præmittenda eſt venæ ſectio, 2°. omnigena interne adhibenda ſunt aperientia, juſculi, apozematis, ptiſanæ, opiatæ forma, ut impacta ſolvatur materia, priſtinæque fluiditati reſtituatur: 3°. in principio adhibenda ſunt topica externe, ad emolliendum comparata, quæ partis contextum, materieique hærentiam relaxent; huic ſcopo utilia ſunt cataplaſmata, vel fomenta ad dolentem phlegmonem propoſita. 4°. poſtea emollito tumori applicari poſſunt, quæ, ad reſolvendum efficaciſſima ſunt, modo ſchirrus plane indolens, latentis carcinomatis naturam nullo modo redoleat; horum formula multiplex eſt, linimentum ſcilicet, ſuffitus, emplaſtrum &c. Cataplaſmata ſequentia ſunt.
℞. Rad. Hellebori albi,
Bryoniæ, Liliorum alborum
Cucumeris aſinini, āā, ℥. j.
Coque in ſ. q. aquæ communis; contunde in mortario & per ſetaceum trajectæ pulpæ, adde

Ireos

Ireos florentinæ pulv. ʒ. ß.
Olei lumbricorum, ʒ. j.
M. Fiat Cataplaſma.

℞. Farinarum quatuor reſolventium ℔. ij.
Coque in Cinerum ſarmentorum lixivio, ſub finem coctionis addendo
Olei Lumbricor. & Chamæmel. ää, ʒ. j.
M. Fiat Cataplaſma.

Linimenta fiunt cum oleo lumbricorum, cera, ſapone &c. vel ſolis, vel tertia ſpiritus ſalis ammoniaci parte permixtis: ſuffitus parantur ex cinnabari & ſtorace æqualiter permixtis, pruniſque injectis, quorum fumus in infundibulo acceptus, ad ſchirroideam partem calens truditur; emplaſtra tandem plurima ſunt, ut diachylum ſimplex, diachylum cum gummis, diabotanum, de vigo quadruplicato mercurio, vel magiſtrale quodcumque ex ammoniaci, galbani, & ſagapeni, anaticis partibus, vino ſolutis, & ad emplaſtri conſiſtentiam denuo inſpiſſatis. 5o. verum ſi dolens & lancinans fuerit ſchirrus, citra reſolutionis & ſuppurationis indicia, tunc ablegatis topicis quibuslibet, ſibi permittendus eſt, ne forſan intempeſtivo reſolventium uſu impacta materia ferox facta, carcinomatis naturam adipiſcatur.

4o. Ad *abſceſſum* ſola utilis eſt exereſis, ſive puris evacuatio, quæ fieri poteſt 1o. maturantibus ſupra propoſitis, ubi de phlegmone, quæ viam puri per ſemiputrem cutem pedetentim pariunt. 2o. cathæreticis, ſive cauſticis, quæ eroſa cute puri exitum moliantur. 3o. demum, quæ ut breviſſima, ſic tutior quoque eſt ratio, cutis inciſione & ſubjectæ carnis, in loco declivi facta, ad puris fluxum conveniente, pro curando ulcere ſuperſtite commoda, ac ad balſama introducenda ſatis patente; ſic evacuato ſemel pure, quæ agenda ſuperſunt ad perfectam cicatricem, ad ulcerum curationem infra proponendam pertinent.

5o. *Hyperſarcoſis*, ſive *excreſcentia carnea*, natura, mole, cauſa, ſede multiplex eſt, polypoſa, verrucoſa, ficoſa, tuberculoſa, carcinomatodes &c. at quævis perinde indicat citam abraſionem, quæ triplici ratione perficitur. 1o. Cathæreticis, quæ cum ſuppurantibus permixta & prudenter admota, excreſcentiam ſenſim abſumunt, hunc in finem magnes arſenicalis, præcipitatum rubrum, lapis infernalis, butyrum antimoniale laudantur, vel qui ceteris multum præſtat cauſticus lapis vulgaris, quæ vel ſola admoventur, vel digeſtivo aut baſilico admiſcentur. 2. ligatione ad baſim cum filo ſerico cera obducto, vel quod tutius eſt, cum ſeta equina, adhibita identidem conſtringi ſolet ligatura; donec, quæ ſupereminet, præciſo pediculo ſponte dilabatur excreſcentia, ſed ea methodus crudelis, diuturna, inflammationibus quas infert gravis, & ad ſummum iis tantum excreſcentiis utilis eſt, quæ ab arcta baſi dependent. 3o. extirpatione, quæ forcipe, ſcalpello, novacula inſtituitur pro diverſa pediculi craſſitie, quæ curationis ratio ceteris merito anteponitur, ut breviſſima atque tutiſſima, modo blandis excreſcentiæ ſedes cathæreticis ſuperficiarie erodatur, quæ callos, ſi qui ſupereſſent, conſumant, ne excreſcentiæ locum denuo præbeant.

6o. Denique *Exoſtoſis*, cauſarum ratione, quintuplex eſt, nempe ſyphilitica, rachitica, ſtrumoſa, ſcorbutica, & ſimplex; quatuor priores

ſpecificis medicamentis oppugnandæ ſunt, quæ iiſdem morbis primariis conducant, a quibus ipſæ dependent; at vero exoſtoſes in genere, topica reſolventia indicant, quæ humorem craſſiorem intra lamellas oſſeas impactum diſcutiant, qualia *ſupra ad ſchirri reſolutionem* protulimus, Laudantur præ ceteris cataplaſmata ex limacibus teſta exemptis, cum ſale ammoniaco, calceque viva ad anaticas partes una pulveratis & contritis parata, atque parti affectæ calentia appoſita.

2. Magnitudo aucta in univerſo corpore geminam agnoſcit cauſam, nimirum vel immodicam pinguedinis congeſtionem intra ſaccos totius corporis adipoſos, ut in præpinguibus & adipoſis, vel ſeri lymphatici ſtagnationem per univerſum corporis habitum, ut in anaſarca, & leucophlegmatia: ſi prior cauſa exceſſu morboſo fiat, duo tantum indicat 1°. diætam tenuem & parcam ex alimentis oligotrophis, ut quotidiana chyli minuatur acceſſio. 2°. exercitia vehementia & frequentiora, diutiuſque protractas vigilias, ut quotidiana ſanguinis multiplicentur diſpendia; altera vero iiſdem remediis eſt oppugnanda, quæ modo ad œdema ſuaſimus.

3°. Magnitudo partis particularis morboſa minor eſt, vel vitio conformationis, ut in illis quibus caput puſillum, aut naſus ſimus eſt, quod nullam admittere poteſt curationem; vel emaciatione accidentario inducta quæ parti paralyſi, anchyloſi, vel rheumatiſmo laboranti, fractæ, vel luxatæ &c. ſupervenit, ſed horum ſingulorum curatio ad ſpecialem pertinet therapeiam.

4°. Tandem magnitudo totius corporis morboſe decreſcit ex univerſali conſumptione, quæ tabem, phthiſim, febrem hecticam, ſequitur, ſed ſingula hæc ad particularem ablegamus therapeuticem.

De morbis partium organicarum in numero & indicationibus curatoriis inde deſumendis.

IV. Organicæ partes numero peccant aucto vel imminuto: Augetur quidem illarum numerus, errore tantum primæ conformationis, ut ſi ſextus adſit digitus, cui vitio una eſt auxiliandi ratio, exciſio nempe, modo ſuperfluæ & amputandæ partis natura, & connexio, atque ſitus permittant: variis inſtrumentis illa perfici poteſt exciſio, forcipe, ſcalpello, novacula, aliiſque; prout amputanda pars carne ſola, aut carne ſimul & oſſe compacta eſt.

Imminuitur vero numerus. 1°. conformationis vitio, ut ſi quis cum quatuor tantum in manu digitis naſcatur. 2°. membri truncatione, quæ fit vel caſu ex illato vulnere, vel de induſtria, ob gravius malum, ut in artuum amputatione. 3°. puris roſione, quod partem ſenſim abſumit; ſic frequens eſt in ſyphiliticis columellam & quadrata palati oſſa exulceratione deſtrui; Oborta inde deformitas duplici methodo corrigitur, curativa una & palliativa altera; Prior eſt inſitio quæ in naſo recens truncato locum habere poteſt; inſeritur nempe ad carnoſam brachii partem de induſtria ſauciatam, ac infixus ibi detinetur, donec naſus cum brachii carne coaluerit, inde agglutinata caro circumſcinditur, & in aptam naſi formam de *induſtria* effin-

fingitur: Chirurgus Italus, nomine TALIACOTIUS, naſos recens mutilatos a ſe feliciter reſtitutos fuiſſe allata methodo gloriatur, in tractatu quem *de chirurgia curtorum* inſcripſit; Poſterior vero eſt artificioſa deficientis partis, quæ veram ſuppleat, appoſitio a græcis *prothesis* dicta; ſic oculum caſu amiſſum compenſamus oculo vitreo; aures mutilatas ex papyro vel chorio picto reſarcimus; naſum fictitium ex lamellis argenteis fabricamus; dentes amiſſos fictitiis ex ebore reſtituimus; palati exciſam portionem lamina argentea obturamus; ligneis cruribus ad incedendum utimur, & ex ferro fit inſtrumentum brachio applicandum, quo in manus defectu, quadantenus exerceri poſſit apprehenſio, qua de re conſulendus PARÆUS *lib.* 22. *cap.* 12.

De morbis partium organicarum in compoſitione & indicationibus inde deſumendis.

V. Partium organicarum peccat compoſitio, in ſitu, vel in connexione; & quidem in *ſitu*, quando ſitum a nativo diverſum integræ obtinent partes, ut in oſſium luxatione, & prolapſu partium mollium, quibus peculiares ſatisfaciunt indicationes.

1°. Oſſa luxata quæcumque & ſubluxata, ſive ab interna, ſive ab externa cauſa reductionem indicant, ad quam requiruntur quinque. 1°. taſis & antitaſis, ſive extenſio & contraextenſio, qua luxatorum oſſium capita mutuo ſibi reſpondere poſſint; hæc extenſio fit vel ſolis miniſtrorum manibus, vel laqueis & faſciis, quibus luxatus circumligatur artus, vel tandem machinis, organiſve, cum difficillima & inveterata eſt luxatio, 2°. partis luxatæ in naturalem cavitatem compulſio, quæ fit ſimiliter vel manibus ſolis, vel pedis calcaneo, ut cum in alam prolapſum eſt oſſis humeri caput, ſcalarumque beneficio, forium, poſtillorum, inſtrumento Hippocratico dicto *ambi* &c. 3. conveniens faſciatio, cum enim, ob muſculorum, tendinumque diſtractionem, in ſua fede repoſitum morari nequeat membrum, faſciis, ſpleniiſque opus eſt, quibus in orbem munienda eſt articulatio, donec debitum robur & adſtrictionem acquiſierint ligamenta. 4°. apta reducti membri repoſitio, ita ut pars mediocriter flexa, circulanti ſanguini libere pervia, mollique ſtrato ſit ſuffulta. 5°. demum prudens ſymptomatum mitigatio, nimirum febris, inflammationis, abſceſſus, gangrænæ, motus convulſivi &c. quæ diæta, venæ ſectione, catharſi, opii uſu, partis fotu cum tepente vino, embroche cum oleis &c. obtinetur.

2°. E mollibus partibus, multæ ſunt, quæ ſitus declivitate, a naturali ſede prolabuntur: ſic omentum, & inteſtina ad inguen alterutrum in bubonocele; quæ inde triplex eſt, nempe *epiplocele*, *enterocole*, & *enteropiplocele*; ad ſcrotum vero in herniis iiſdem completis ſeu veris procidunt; ſic uterus ejuſve collum in vulvam prolabitur in uteri procidentia; ſic inteſtinum rectum foras propendit in ani prolapſu; ſic demum in exomphalo tumet umbilicus ab exeuntibus omento & inteſtinis.

Tria ſunt etiam, quæ his omnibus in genere auxiliantur. Primo in naturalem ſitum prolapſæ partis reductio, quæ taſis dicitur, & triplex eſt, 1°. ſpontanea, dum ad locum ſponte redit pars, ut in exomphalo & in bubonocele frequens eſt. 2°. laborioſa cum diſtenta ſan-

guine, fæcibus, flatu, preſſioni ægre obſequitur pars, niſi prius fotu, linitu, cataplaſmate relaxata, gradaria dein & ſucceſſiva preſſione, corporis reſupinatione, concuſſione &c. intropellatur. 3°. chirurgica operatione opus eſt, qua conſtringens annulus diſſecetur. Secundo Foraminis occluſio, unde procidit pars; in hunc finem diſſecti annuli, ſive foraminis peripheria ſcarificatione multiplici incidi ſolet, ut cicatrix quæ inde ſuccedit, locum oppleat, ac partibus egreſſum tentantibus obnitatur; ea eſt hodierna hernias umbilicales, & inguinales curandi methodus, quæ ablegato puncto aureo ſola nunc uſu viget. Tertio ſi claudi non poſſit foramen, ſaltem in ſitu continendæ ſunt partes variis modis, ſic ſubligacula ex linteo aut chalybe herniis quibuſcumque; ſic peſſaria, cuculive uterini, ad partes coercendas, ejuſdem prolapſui utilia ſunt.

Peccat vero partium compoſitio in *connexione* duplici modo, 1°. ſi uniantur coalitu quæ ſeparatæ eſſe debent. 2°. ſi ſeparentur ſolutione continui, quæ debent eſſe unitæ. Partium coalitui, ſive congenitus fuerit, ut in iis quibus anus occluſus, aut vagina imperforata eſt a nativitate, ſive adventitius, ut cum digiti, aut palpebræ una conglutinantur ab exulceratione, diæreſis, ſive ſectio competit, quæ pro partis ratione, forcipe, ſcalpello, lithotomo, aut phlebotomo fit; unde ſeparatæ partes cicatrice obducendæ, cavendo ne ex incuria denuo coaleſcant alii. Solutio continui duplex eſt pro ſubjecti ratione; quæ partibus duris accidit, fractura; quæ vero mollioribus, vulnus appellatur; utraque ſyntheſim indicat, paulalumque diverſam.

Ad ſyntheſim fractorum oſſium opus eſt 1°. taſi & antitaſi, quæ manibus ſolis vel laqueis, aut faſciis, organiſque variis fit, ut modo dictum eſt, ubi de oſſium luxatorum ſynthefi. 2°. coaptatione, oſſiumque extenſorum conformatione, qua membrum utraque manu compreſſum ſtudet Chirurgus, ad priſtinam reducere figuram, particulas extantes, in ſuas cavitates & ſedes, hinc & inde impellendo, quod ex doloris ceſſatione, oſſis fracti in ſuperficie æqualitate & comparatione cum ſano elucefcit membro. 3°. membri conformati deligatione (*a*) per duas faſcias, quorum una ſurſum, altera vergat deorſum, per faſcialem circumductionem. (*b*) perſerulas læves, æquabiles, ſimas, parti affectæ applicatas, interjectaque faſcia mediocriter conſtrictas. 3°. ligatæ partis repoſitione vel in capſula lignea, vel coriacea, vel ſupra pulvinar molliuſculum, pro varia partis ratione. 4°. demum ſymptomatum mitigatione a fractura imminentium, quæ *ſupra* dictis auxiliis obtinetur, *ubi de luxationum oſſium reductione*.

Vulneratarum partium ſyntheſis ſeptem requirit. 1°. Corporis extrinſecus incidentis extractionem, ſi quid forte vulneri inhæſerit, ſagittæ, enſis, ligni &c. ceteroquin nec adduci vulneris labra, nec invicem coire poſſunt. II. Adductionem & conjunctionem labiorum vulneris, quæ obtinetur vel ſimplici faſciarum deligatione, quæ incarnativa deligatura, & vulgo *Bandage uniſſant* vocatur; vel ſutura multiplici, ſicca, interſciſſa, pennata, qua de re Chirurgorum conſulantur libri. III. Suppurationem partium vulneris ictu contuſarum, vel attactu aeris male affectarunt; huic ſcopo utilia ſunt digeſtivum vulgare ex terebinthina, vitellis ovorum, oleoque lini: unguentum etiam baſilicum, oleo hyperici paulatim dilutum, ac etiam poſt aliquot dies balſamum Arcæi, cujus hodie maximus eſt uſus.

ſus. IV. Supurati vulneris deterſionem, ad quam decocta varia uſurpari poſſunt, ut decoctum hordei cum melle roſaceo, decoctum vulnerarium abſinthii, centaurei &c. aquæ vulnerariæ multiplices; ſed cæteris omnibus multum, mirumque præſtant aquæ thermales, imprimis Bellilucanæ, a quibus moperate tepentibus vulnus bis aut ter in die cum ſpongia, aut ſyphone, pro vulneris ſitu & figura, abſtergendum eſt; ſic enim ſaponacea qua pollent virtute, ſi quid ſordidum vulneri inſit aut inhæſerit, efficaciter eluunt & everrunt. V. Deterſi vulneris incarnationem ſive ſarcoſim, quæ quidem naturæ opus eſt, non artis: attamen promoveri poteſt 1°. diæta convenienti ex euchymis, eupeptiſque alimentis, pauca carne, offa multa, vel cremore oryzæ &c. 2°. uſu lactis vaccini, vel aſinini, quo ſanguinis edulcoretur acrimonia, blandiorque lympha nutritia partibus accreſcat. 3°. oculorum cancrorum fluviatilium uſu, aliorumque abſorbentium, qualia ſunt corallia, antimonium diaphoreticum, ex quibus julepi, aut opiatæ conficiuntur. 4°. inviſcantium uſu, quæ cruoris acrimoniam mitigent, emulſionum, v. g. decoctorum radicum ſymphiti; altheæ, nympheæ, florum malvæ &c. 5°. detergentium externorum uſu, aquarum v. g. Bellilucanarum, quæ vulnus eluunt, ac inde quidquid incarnationi obſtare poteſt, evertunt: utilia ad hunc finem ſunt balſamum viride ſive Metenſium, balſamum chalybis iterata lotione edulcoratum, balſamum Commendatoris. VI. Ad vulneris carne oppleti cicatriſationem, ſive epuloſim quæ leviter exſiccantibus, vulgo epuloticis dictis obtinetur, præ ceteris laudantur ceruſſa, plumbum uſtum, pompholyx, &c. Ex iis compoſita unguenta, nempe album Rhaſis, aut diapompholygos; plerumque ſatis eſt vulneri penicillos ex linteo carpto & ſicco applicari, qui ſerum exſugant ſuperfluum; ſi molliores ſuperveniant carnes, alumine calcinato ſunt conſpergendæ, & lapide infernali leviter attingendæ, ut ad libellam revocentur. VII. Symptomatum mitigationem ad quam in uſum revocanda ſunt, quæ ſupra propoſuimus, ubi *de luxationum reductione*.

De indicationibus quæ repetuntur a morbis fluidorum.

Sanguis, qui ceterorum omnium humorum, quibus humanum perluitur corpus, fons eſt & ſcaturigo, trifariam peccat *quantitate*, *qualitate*, & *motu*: peccat autem in *quantitate* dupliciter, aucta vel imminuta: indicationes quæ auctæ ſanguinis quantitati conveniunt, ſupra vidimus, ubi *de plethora* inter prophylacticas indicationes: illas vero quæ imminutæ cruoris copiæ conducunt, infra, ubi *de virium reſtauratione*, inter indicationes conſervatorias. Hic igitur duo ſuperſunt exponenda, 1o. quæ indicationes ad vitioſam ſanguinis *qualitatem*. 2°. quæ ad morboſum ejuſdem *motum* utiles ſint, quod utrumque ſequentibus exponemus.

De indicationibus quæ vitioſæ ſanguinis qualitati conveniunt.

Sanguinis *qualitas* dupliciter vitiatur, vel *conſiſtentia*, & tunc *vitioſa diatheſis*; vel *craſi* ſeu *conſtitutione*, & *dyſcraſia* appellatur.

De indicationibus vitioſarum ſanguinis diatheſium.

Tres diſtinctas ſanguinis diatheſes vitioſas ſtatuere ſolent Pathologici. 1o. grumoſam, in qua ſanguis ab acidis una confuſis in floccos coagulatur. 2o. diſſolutam, in qua nimium attritus, aut carminatus, conſiſtentiæ ferme expers eſt. 3o. reſinoſam ſive terebinthinaceam, in qua ſeri penuria ſulphureæ ſanguinis partes prætermodum craſſeſcunt, & inſpiſſantur. Hinc tres futuri articuli & quidem.

De indicationibus diatheſis grumoſæ.

I. Ea eſt diatheſis grumoſa, in qua ſulphurea ſanguinis compages in floccos coagulatur ab acidis, in ipſa cruoris maſſa genitis, ex mœrore, triſtitia, ærumnis &c. vel ſanguini una cum chylo transfuſis, vel in illum reſpirando attractis ex tetris terræ recens effoſſæ halitibus, aliiſque aeris corruptelis: hæc diatheſis manifeſtè indicat aperientium, attenuantium, incidentium uſum, quibus in tenuiores particulas, quæ ſolitis fluiditatis, circulationiſque cauſis facilius obſequantur, coactæ ſanguinis moleculæ atterantur, dividantur, diſcerpantur; Allata remediorum genera, ex materia medica, facile cognoſci poſſunt: quamobrem iis recenſendis ſuperſedemus; at noſtro inſtituto apprime conveniens videtur ſingulas formularum ſpecies, quæ ad propoſitam diatheſim corrigendam utiles ſunt, breviter exponere.

Itaque adhibentur 1o. *apozemata*, ſive *juſcula* ex herbis aliiſque aperientibus confecta; iſtius modi ſunt *radices* anonidis, aſparagi, bruſci, apii, petroſelini, enulæ campanæ, eryngii, rubiæ tinctorum; *folia* chicorei, pimpinellæ, agrimoniæ, borraginis, bugloſſi, fumariæ, naſturtii aquatici; *ſummitates* lupulorum una cum memoratis plantis incoquuntur, limatura ferri rubiginoſi ad ʒ. j. vel præparato juſculo, aut apozemati admiſcetur, & cremor tartari chalybeati ſolubilis ad ℈ 1. vel ʒ ß.

2o. *Opiatæ* ex aperientibus, attenuantibus & purgantibus compoſitæ; ex aperientibus & attenuantibus. 1o. martialibus nimirum, ex croco martis aperientis, marte diaphoretico, floribus martialibus, tartaro chalybeato ſolubili &c. 2o. Ex mercurialibus, videlicet, ex mercurio dulci, panacea, æthiope minerali, mercurio violaceo &c. 3o. Ex ſalibus fixis, v. g. abſinthii, tamariſci, chamædrios, tartari &c. 4o. Ex ſalibus factitiis, borace nempe, aut ammoniaco ſale. 5o. Ex gummi, reſiniſve, ut ex myrrha, aloe, ex gummi ammoniaco. Ex purgantibus, inter quæ uſu ceteris præſtant rhabarbarum, ſenna, jalappa, &c. probe pulverata & aperientibus, quæ a Medico ſelecta ſunt, perintime mixta, intimiuſque una ſubacta, ut per totam opiatæ maſſam æqualiter diſtribuantur.

3o. *Julepi* ſeu *potiones*, quæ præparantur ex aquis ſtillatitiis cardui benedicti, betonicæ, bardanæ, ulmariæ, borraginis, fœniculi &c. aut ex decocto earumdem plantarum, quibus admiſcentur pulvis viperinus, vel pulvis bufonum, vel aſellorum &c. ſalia volatilia, nempe cornu cervi, ſalis ammoniaci, viperarum; aqua naphæ, cinnamomi, antimonium diaphoreticum, aut antihecticum Poterii, vel bezoardicum jovia-

le,

le, adjecto tandem vel syrupo de quinque radicibus, si præscribatur julepus; vel confectione hyacinthorum, alkermes, &c. si exoptetur potio.

4°. *Vina* medicata quorum dosis est ad ʒ. iij. vel iv; parantur ex vino albo cum croco martis aperiente solo, vel croco & sale absinthii ad anaticas partes infusis.

5°. *Ptisanæ* pro potu ordinario ex decocto herbarum aperientium supra recensitarum, quæ infuso ferri rubiginosi, aut croci martis aperientis, vel solius, aut cum rheo, saleve polychresto, in nodulo parantur.

6o. *Succi* coctura levi expressi, ex commixtis herbis aperientibus, ex urtica, eruca, erysimo, nasturtio, ruta &c. quorum ad ʒ. ij. aut ʒ. iij. est dosis.

7°. *Aquæ chalibeatæ minerales*, quarum tria sunt genera; *fortium*, quæ multa ferri rammenta; *mediocrium*, quæ pauciora; *debilium*, quæ pauciſſima secum convehunt: unde plurimum variant earum energia & usus; sic in Occitania inter vehementes recensentur aquæ vulgo dictæ *de Vals* & *de Camares*; inter mediocres, *d'Iouzet* & *de Pomares*; inter debiles vero, *de Lodeve* & *de Meines*: unde simili methodo, cuique aquas patriæ proprias ad similes revocare facile est.

8°. *Diæta*, ad quam utiles sunt carnes animalium assatæ, vel elixæ, jura ex iisdem carnibus, aviculæ quæ insectis depascuntur, quæque multo sale volatili abundant, ut turdus, perdix, alauda, columbæ &c. herbæ esculentæ, antiacidæ, ut cepæ, allia, apium, asparagi, eruca, nasturtium, raphani, &c. aromata tandem omnia, ut piper, cinnamomum, nux moscata, sinapi &c. vitanda vero edulia quævis, quæ sunt manifesto acida, aut quæ occultis acidis scatent, adeoque sponte acescunt.

9°. Denique exercitia & equitatio, cursus, saltatio, deambulatio, laborioſa venatio, declamatio &c. quibus sanguinis circulationem, atque adeo ejusdem attritionem promoveri notum est; iisdem vehementiora animi pathemata, nec non vigiliæ diutius protractæ, quæ allatæ diathesi medelam afferunt, adjungi debent.

De indicationibus diathesis dissolutæ.

II. Sanguinis dissoluta diathesis ea est, in qua fibrosæ & sulphureæ cruoris partes, prægressis fermentationibus attritæ, salibus salso acribus carminatæ, immodicis exercitiis subactæ, liquorum ardentium aut aromatum usu attenuatæ, ita concisæ sunt, ut nexu mutuo nativam ipsius consistentiam tueri amplius non possint, qua suis muniis compar sit: huic ergo cruoris constitutioni duo conducunt auxiliorum genera 1°. incrassantia, quæ glutinosas, viscidasque sanguini subministrent partes. 2°. inspissantia, quæ concisas ejusdem partes intimius cogant, adeoque suam massæ sanguineæ consistentiam reddant.

Selecta ex utraque classe medicamenta, varias possunt remediorum formulas componere, quæ pro adjunctorum natura, ægri statu, symptomatum ratione, a solerti Medico, materiaque medica probe gnaro probari possunt.

1o. *Apozemata*, sive *juscula* ex radicibus symphiti majoris, altheæ, nympheæ, lactucæ, acetosæ, plantaginis &c. ad j. ex foliis portula-

cæ, altheæ, plantaginis, lactucæ, oxytriphylli ad m. j. ex seminibus lactucæ, papaveris albi, ad ʒ. ß. vel ʒ. j. coquuntur omnia, ut artis est, cum pullo gallinaceo juniore exenterato, cujus infarcitur venter quatuor seminibus frigidis majoribus contusis, aut cum frustulo carnis vitulinæ, & vervecinæ, vel agninæ; ac deinde præparatur jusculum, in quo, ut efficacius sit, non raro incoqui solent frustula testudinis terrestris, ranæ exenteratæ, capiteque truncatæ, *cochleæ terrestres*, seu domiportæ, vulgo *limaçon qui porte sa maison*; quæ prius levi ebullitione mucilaginem deposuerint; hæc enim glutinosis, viscidisque partibus abundant, quæ nimiæ sanguinis dissolutioni, medelam afferunt.

2°. *Opiatæ* ex coralliis rubris præparatis, croco martis adstringente, oculis cancrorum fluviatilium, alumine rupeo, spodio usto, cornu cervi philosophice præparato, sanguine draconis, gummi tragacantha ad ϑ. j.: hæc comminuta & commixta syrupo violaceo, aut de rosis siccis, aut conserva rosarum vel cydoniorum, excipiuntur, ut opiatam componant, cujus usus est semel, vel etiam bis in die: dosi vespertinæ adjicitur laudanum debita quantitate, ut agrypnia, si quæ sit, compescatur.

3°. *Emulsiones* vulgari modo factæ ex amygdalis dulcibus excorticatis n°. IV. ex seminibus quatuor frigidis majoribus ad ʒ. ij. ex seminibus lactucæ, papaveris albi, plantaginis, portulacæ, altheæ ad ϑ. j. quibus contusis, contritisque in mortario marmoreo affunditur decoctio conveniens hordei, liquiritiæ, symphiti majoris; colaturæ admiscetur syrupus violaceus, nympheæ, altheæ Fernelii ad ʒ. ß. papaveris albi ad ʒ. ß.

4°. *Julepi* Ex aquis lactucæ, portulacæ, nympheæ, ad ʒ. vj. pulveribus coralliorum rubrorum, oculorum cancrorum fluviatilium, cornu cervi philosophice præparati, sanguinis draconis, salis prunellæ ad ʒ. ß. ex spiritibus acidis, sulphureis, salis communis, sale vitrioli, aqua temperata Basilii Valentini ad gratam aciditatem, ex syrupis supra recensitis, aut syrupis granatorum, limonum ad ʒ. j.

5°. *Gelatina* ex cornu cervi, capone juniore, variis animalium partibus, coctura ad putrilaginem redactis, quæ lympham tenacem glutinosam incrassando aptissimam suppeditant.

6°. *Ptisanæ* ex decocto radicum altheæ, nympheæ, symphiti majoris, seminibus lactucæ, lini, levi ebullitione coctæ.

7°. Varia lactis genera, cremoresque ex oryza, hordeo, avena &c. de quibus fusius agetur, dum *de salso-acri sanguinis dyscrasia*.

8°. Demum utilis est *diæta*: cibus sit ex carne agnina, vitulina, pullis gallinaceis, gallinis aut caponibus junioribus, quæ pingui mucilagine abundant; offæ vel cremores bis in die comedantur, modicus sit vini usus, moderata, vel nulla fiant exercitia, vitentur animi pathemata, multus sit somnus, sponte vel arte concilietur, rara denique & blanda catharsis.

De indicationibus siccæ & gummosæ diathesis.

III. Seri defectu, sicca est sanguinis diathesis, quod absumitur febre lenta, exercitiis immodicis, venere, vigiliis, calore externo, animi pathematibus vehementioribus, anxietate, sollicitudine &c. vel evacua-

cuationibus nimiis ſudoris, urinæ, ſuccorum inteſtinalium in diarrhœa, exhauritur.

Sanguis ea diatheſi craſſus eſt, citra ullam partium ſulphurearum coagulationem, viſcidus, glutinoſus, gummoſus, reſinoſus, terebinthinaceus, hærentiæ aptus, ſed facilis excandeſcentiæ, ideoque plurima afferens ſymptomata, quæ naturalem corporis œconomiam graviter depravant; hæc cruoris obſervatur conſtitutio in maniacis, melancholicis, hypochondriacis, mulieribuſque hyſtericis: ex hac theoria conſequens eſt, ſicciori, gummoſoque ſanguini mederi 1o. diluentia & humectantia, quæ ſerum deficiens reſtituant. 2o. moderate aperientia & attenuantia, quæ ſtrictiorem ſanguinis relaxando contextum, faveant faciliori diluentium permixtioni cum cruore; verum ex illis ſequentes auxiliorum elici ſolent formulæ.

1o. *Juſcula*, vel *apozemata* ex fragariæ, graminis, acetoſæ, lapathi acuti, cichorei, radicibus; ex foliis capilli veneris, borraginis, fumariæ, dentis leonis, chærefolii, cichorei &c. Cuilibet juſculo addi poteſt tartarum vitriolatum, vel ſal admirabile Glauberianum ad ʒ. ß. vel ϑ. ij. vel tartarum chalybeatum ſolubile ad ʒ. j.

2o. *Ptiſanæ* ex foliis capilli veneris, ex hordeo integro cum radice graminis, ex aqua cum ferro rubigino ſoinfuſa, ex aqua communi cui ſal polychreſtum fuerit diſſolutum ad levem ſaporem inducendum.

3o. *Serum lactis* ex caprino, vaccinoque lacte expreſſum ad lb. j. mane jejuno ventriculo hauſtum, per menſem continuando; exprimitur autem ſerum, 1o. flore cardui cum lacte infuſo; 2o. aceto, limoniorumve ſucco admixto. 3o. pomo regii ſaporis fruſtulatim conciſo, unaque incocto: hæc enim dum acido latente, vel manifeſto, caſeoſas, butyroſaſque lactis coagulant partes, interjecti ſeri guttulas effundunt, ſeu expediunt; primus tamen & ultimus præparandi ſeri lactis modus, ſecundo multum præferendi ſunt, utpote qui ſerum minus acidum ſuppeditant; quod ſi ſeparatum ſerum innatantibus caſei floccis grave ſit & obſcurum, conquaſſatis aliquot ovorum albuminibus, levique coctura inſpiſſatis, limpidiſſimum fiet; ſerum autem recte præparatum ſumitur 1o. ſolum, cum pauco ſaccharo communi vel roſaceo, 2o. chalybeatum, vel iterata ferri candentis extinctione, vel cremoris tartari chalybeati ſolubilis diſſolutione a ϑ. 1. ad ʒ. ß. 3o. foliorum fumariæ, chamaedryos &c. contuſorum infuſione alteratum.

4o. Sumitur *Lac* aſininum crudum, & vaccinum coctura butyro omni orbatum, diluentis decocti additione liquidius factum, quæ duo craſſiorem & ſicciorem efficaciter diluunt ſanguinem, & ſalſo-acri ejuſdem dyſcraſiæ, quæ cum ſicciori diatheſi plerumque convenit, apprime medentur: *de his vero fuſius alibi.*

5o. *Aquæ minerales chalybeatæ*, quæ tum aqueis partibus ſale in fluorem redacto acuatis, tum ramentis martialibus, quæ una deducunt, craſſam ſanguinis indolem attenuant, & liquefaciunt; at porro quatuor caute advertenda ſunt. (*a*) ut ablegatis aquis mineralibus fortioribus, quæ, procreata nimia diureſi, ſanguinem jam ſiccum ulterius exſiccarent, leviores tantum adhibeantur, quæ blandius operantur, adeoque longiorem in vaſis ſanguiferis moram trahunt. (*b*) ut non ſolum per novem dies, ut vulgaris fert uſus, ſed per viginti, imo ſi inde melius ſe habeat æger, per menſem integrum epotentur: verum pari proportione decreſcere debet aquæ quantitas, quæ qualibet die ſumitur,

mitur, & loco novem vel decem librarum, quæ nimium gravant ſtomachum, quinque vel ſex ad ſummum ſumere ſufficit. (*c*) quod ſi aquæ illæ limpidæ ſint, neque palato ingratæ, non tantum ſummo mane, jejunoque ventriculo epotari debent more ſolito; ſed etiam pro potu ordinario, inter epulas. (*d*) denique ſi infirmus fuerit ventriculus, aquæ illæ, ut epotentur, prius frigiditatem in balneo mariæ, uti ſolemne eſt ad aquas thermales longe a ſcaturigine ad uſum internum exportatas deponere debent.

6°. Aperientia identidem interjecta, pilularum, opiatarum, juſculorum, ptiſanarum forma, ea tamen cautela, ut ex blandiorum, leviorumque ſeligantur claſſe, ne ſalſiorem, ammoniacalem, & facile excandeſcibilem ſanguinem, qualis eſſe ſolet cruor ſiccior, & gummoſus, intempeſtive exagitando, febres continuæ, lentæve, aut variarum partium phlogoſes ex imprudentia inferantur.

7°. *Balnea, ſemicupia, fomenta* &c. ex aqua communi tepida, ex herbarum emollientium decocto, ex lacte ſolo, vel cum aqua mixta, qua de re conſulantur, quæ *de Balneo* diximus in prima hujuſce opuſculi parte; verum cautione opus eſt (*a*) ut iis tantum præſcribantur balnea, quibus interiora, ſive præcordia, nec gravi ulcere, nec male coalitis divulſionibus, nec nimiis obſtructionibus affecta ſint, ut ſanguinem a corporis peripheria aquæ pondere expreſſum, copioſiuſque ad interiora ruentem, citra rupturæ periculum accipere commode poſſint. (*b*) ut balneis, ſi male tuta videantur, ægrotantique laborioſa ſint, ſemicupia ſubſtituantur, quorum facilior, ideoque diuturnior eſſe debet uſus. (*c*) ut ſimul cum ſemicupiis, ſupra abdominis regionem, adhibeantur fotus.

Ceterum minime dubium eſt aqueas guttas, continuato illorum auxiliorum uſu, per poros innumeros, quibus tota pervia eſt cutis, in vaſa lymphatica, poris illis lateraliter hiantia, ſenſim inſinuari, ac inde in ſanguifera vaſa delatas, univerſum cruorem, quaſi rore copioſo, diluere; nam (*a*) docet experientia, ex balneorum uſu fluxiliorem fieri ſanguinem, quod, niſi ab admiſſis aquæ guttis, deduci non poteſt. (*b*) *Obſervatione compertum habuit* JACOBUS KEIL, quam in *tractatu* ſuo *de Statica Britannica* refert, juvenem aliquandiu jejunium perpeſſum octodecim humoris uncias per corporis habitum attraxiſſe ex aere humidiori, unius tantum noctis ſpatio, quod ſane ex nocturno & matutino corporis pondere invicem collato fuit evidens.

8°. Denique conveniens imperanda eſt diæta; ex carne juniorum animalium, quæ multo ſucco abundant, ex carne elixa, quæ ſero plena eſt, nutriatur nimirum æger; offæ cum multo jure frequens ſit uſus, largus potus, copioſus, aqueus, pauco vino temperatus, vinoque oligophoro: ab uſu liquorum ardentium, aromatum, ſalſamentorum, abſtinendum eſt, ab exercitiis immodicis, vigiliis nimiis, animi pathematibus vehementioribus, a diuturna mentis contentione: fructus horæi ſucculenti, ut ceraſa, fraga, pepones, & uvæ, modo debite maturaverint, ſunt comedendi: nimius tandem æſtatis æſtus fugiendus eſt, vel omni opera temperandus.

De

De indicationibus ſingularum ſanguinis dyſcraſiarum.

Varias ſanguinis dyſcraſias, ſive vitioſas conſtitutiones penes principia in immenſum fere multiplicant Pathologi, dum in eaſdem ſtudio nimis metaphyſico inquirunt; ſed Practici qui, omiſſa omni diligentia quæ mere curioſa ſit, ſenſuales eſſe debent artifices, univerſas dyſcraſias ad quatuor revocant 1°. ad fibroſam, 2°. ad ſeroſam, 3°. ad acidam, 4°. ad acrem, ſalſo-acrem, ſalſo-muriaticam, ammoniacalem &c. prima omnium cum gummoſa ſanguinis diatheſi, ita proxime convenit, ut & iiſdem indicationibus locum det, iiſdemque auxiliis corrigatur; quamobrem fuſiori ejuſdem tractationi ſuperſedendum cenſemus: verum tres reliquas ſigillatim ordine expendemus.

De indicationibus ſeroſæ dyſcraſiæ.

I. Ea eſt ſeroſa ſanguinis dyſcraſia, in qua ſalino-aqueus cruoris latex nimium redundat, habita ratione ad cetera principia; ut debetur plurimis cauſis, ſic diverſa auxiliorum genera indicat; nam ſi a ſanguinis diſſolutione producatur, omnia in uſum, quæ ſupra ad illam ſuaſimus diatheſim, advocanda ſunt; ſi vero a ſuppreſſa evacuatione humoris cujuſdam ſeroſi, urinæ v. g. oriatur, omni opera ſuppreſſa reſtituenda evacuatio: & ſic de ceteris cauſis particularibus.

At hæc ad generalem medendi methodum non pertinent, quæ ſumma tantum curationum capita debet attingere: itaque hic notaſſe ſufficiat ſeroſam ſanguinis dyſcraſiam a quacumque cauſa fiat, curari remediis omnibus quæ ſerum, quo cruor nimium diluitur, efficaciter educere poſſunt, catharſi, diureſi, diaphoreſi &c. unde numeroſa medicaminum ad hanc dyſcraſiam emendandam ſuppetit ſylva, ex quibus ſequentes potiſſimum conficiuntur formulæ.

1°. *Catharſis* iterata ex hydragogis, v. g. jalappa, ſcammoneo, ſucco ireos noſtratis, reſina jalappæ, pulvere de tribus, ſive cornachino, aquila alba &c. quæ vel ſola, ſi vegetior ſit ægrotantium temperies, vel aliis blandioribus purgantibus admixta præſcribuntur, ſi imbecillior ægri ita ſuadeat ſtatus.

2°. *Juſcula* & *apozemata* ex diureticis, diaphoreticus, ſudorificis, quæ per renum fiſtulas, inſenſibilis perſpirationis ſpiracula, cutiſque miliares glandulas ſerum evacuant: in hunc finem juſcula præparantur diuretica, ex diureticis quæ ſunt e calidorum genere, v. g. radicibus apii, eryngii, anonidis, petroſelini, fœniculi &c. ad ℥. j. ex baccis alkekengi, juniperi, &c. ex ſeminibus milii, ſolis urticæ urentis, geniſtæ &c. in quibus diſſolvitur pulvis millepedum, bufonum exſiccatorum, aut cancrorum aſſatorum ad ℈. ij. aut ſal ſtipitum fabarum ad ℈. j. Diaphoretica vero conficiuntur juſcula ex viperis, vel ſerpentibus, qui montana habitant, capite & cauda truncatis, extenteratis, cute denudatis, in fruſtula diſſectis, quæ cum carnis fruſtulis, pullove juniori, herbiſque diaphoreticis incoquantur.

3°. *Ptiſanæ* diureticæ ex iiſdem medicamentorum generibus paratæ, quibus juſcula confici modo diximus diuretica; ſed quæ in majori aquæ copia, debiliorique ignis gradu decoqui debent, ne ptiſanam ad potum ordinarium deſtitinatam, nimium inficiant: utiles

quoque

quoque ad eundem finem ptiſana ex levi cinerum ſarmentorum aut cynorrhodi ramulorum lixivio, ex ſale mirabili Glauberiano, arcano duplicato, tartaro, vel nitro fixato, ſale ſtipitum fabarum &c. in aqua fontana diſſolutis.

4°. *Ptiſanæ* ſudorificæ ex radicibus Chinæ, ſalſæparillæ, ex ligno guaiaci & ſaſſafras, antimonioque crudo craſſiuſcule trito, quæ debita doſi in ſufficienti aquæ communis quantitate infuſa per diem, levi ebullitione ita decoquatur, ut ad tertiam partem aqua redigatur: longe a paſtu ter die potatur colatura, per decem dies; paratur ex aqua iiſdem ſpeciebus infuſa denuo, decoctum levius, ſive bochetum pro potu ordinario præſcribi ſolitum.

5°. *Balnea*, *Embroche*, ſive *irrigationes* vulgo *douches*, *ſtuphæ* vulgo *étuves* &c. ex aquis thermalibus ſalſis, ſulphureis, bituminoſis, chalybeatis, quæ ſudores uberrime proliciunt, quibus ſerum in ſanguine luxurians cito exhauriri compertum eſt: non una autem eſt illorum adhibendorum ratio, ſed varia, atque multiplex; propoſita enim auxiliorum genera, hic per plures, alibi per pauciores dies continuantur, pro varia aquarum ſcaturientium indole & efficacia, qua in re uſus experientia jamdudum comprobatus tenendus eſt.

6°. Efficax eſt *ammochoſia*, ſive arenæ marinæ ſiccæ, ſale communi gravidæ, ſoliſve ardore calidiſſimæ, ſupra corpus aggeſtio, quod remedii genus per aliquot dies continuos, diebus canicularibus repetendum eſt: hac opera mirum eſt quam commode ſuperfluus diſcutiatur humor, proliciatur ſudor, univerſumque exſiccetur corpus; eſt etiam & ſal marinum ad eam rem efficacius, quam arena, præſtatque in eo tenui ſubſtrato & calente decumbere, imo vero neque ſua aquæ marinæ balneo deeſt eadem in re utilitas.

7°. Demum propoſitis remediis, *diæta* adjungenda, quæ illorum efficaciam adjuvet: carnibus aſſatis nutriatur æger, ab offis penitus abſtineat, panatellis, juſculis, cremoribus &c. parce bibat, perpetuoque utatur vel diuretica ptiſana, vel vino, quod oligophorum eligendum eſt, quale vinum album; aerem eligat ſiccum, calidum, ſerenum; labore, equitatione, vigiliiſque corpus exſiccet, potu *caffè* utatur, foliorum ſalviæ, urticæ &c. infuſione, horis matutinis; nullos fructus crudos attingat, neque acetaria, nicotianæ fumum ore trahat, vel ejuſdem pulverem naribus admittat.

De indicationibus acidæ, aut ſalſo-acidæ dyſcraſiæ.

II. Acida aut ſalſo-acida ſanguinis dyſcraſia ferax eſt morborum quamplurimorum cauſa; pendet in genere vel a viru quodam peculiaris indolis ſanguini infuſo, vel ingenito, nimirum rachitico, ſcorbutico, ſyphillitico, vel a cauſa alia quacumque communi, quæ intra ſolitam rerum non-naturalium energiam conſiſtat, ut cetera quælibet ſanguinis aceſcentis vitia.

Prior dyſcraſiæ ſpecies, præter generalia auxilia *infra* proponenda a quibus mitigatur, particularia indicat remedia, quæ, experimentis iteratis, illi ſpecifice mederi deprehenſa ſunt, ut radicibus emendetur; ſic dyſcraſia acida rachitica enteveneris, marte volatili, marte diaphoretico, aliiſque ex chalybe & ſale ammoniaco præparatis; dyſcra-

ſia

ſia acida ſyphilitica mercurio mercurialibuſque præparationibus; ſcorbutica plantis antiſcorbuticis oppugnanda eſt, inter quas eminent cochlearia, beccabunga, naſturtium aquaticum, armoracia, ſive raphanus ruſticanus, cortexque Winteranus.

Poſterior vero dyſcraſiæ acidæ, aut acido-ſalſæ ſpecies, cui corrigendæ communia ſufficere poſſunt auxilia, remedia indicat multigena, pro ſucceſſuum aut circumſtantiarum ratione continuanda, varianda, alternanda &c.

1°. videlicet aperientia, incidentia, attenuantia omnia, præſertim chalybeata, qualia ſupra propoſuimus ad gummosam diatheſim, quo lectorem remittimus, ne crambem tædioſe recoquere videamur; ex remediis etiam iſtius modi apozemata, juſcula, opiatæ, ptiſanæ &c. præparari ſolent, quæ dum ſanguinis craſſitiei medentur, vi eadem ſimul, acida, a quibus gummoſa fovetur craſſities, infringunt, atterunt, efficaciſſimeque corrigunt & frequenter.

2°. Diluentia & humectantia quæ ſupra propoſuimus ad ſiccam & gummoſam ſanguinis diatheſim: iis enim, qua proportione ſtrictior ſanguinis compages relaxatur, manifeſtum eſt ſimul proportione eadem ſalia acida, aut acido-ſalſa cruori confuſa diſſolvi, elui, abſtergi atque per uriniferas excerni vias.

3°. Abſorbentia, quæ rara, poroſa, terrea ſubſtantia acida quævis obvia imbibunt, & ab agendo arcent; in hunc finem, lapis, chelæ, teſtae, cancrorum, margaritæ, mater perlarum, corallia, os ſepiæ, terra ſigillata, lapis hæmatitis, ſanguis draconis, rhabarbarum torrefactum, myrobolani pariter torrefacti, nux moſchata, cornu cervi philoſophice præparatum, &c. plurimum laudantur, ex quibus debita doti præſcriptis, ſecundum artem combinatis, intimeque permixtis, pulveres, opiatæ, julepi, potiones abſorbentes &c. conficiuntur.

4°. E genere tum fixorum, tum volatilium alkalia quævis, inter quæ præſtant ſal ammoniacum, ſal admirabile *Glauberianum*, arcanum duplicatum, ſal polychreſtum D. *Seignette*, ſal catharticum amarum, volatile ſalis ammoniacalis, viperarum, cranii humani, urinæ, cornu cervi, ſpiritus congeneres ex iiſdem ſubſtantiis; ſalia eadem iteratis calcinationibus cum oleo quodam aromatico conjuncta, atque inde oleoſa facta; hæc enim acida, quæ cruorem inficiunt, aggrediuntur, fermentant, in ſalſa convertunt, quæ miliaribus glandulis, ſudoris forma, fiſtuliſve urinariis cum urina excernuntur.

5°. Animalia, aut animalium partes, quæ ſale volatili alkalino turgent, quæque proinde acida potenter emendare valent, ut millepedes, ſcincus, formicæ, ungula alcis, hirci ſanguis, mumia, Bezoardicum animale, lapis felleus porcinus, caſtoreum, ſperma ceti &c. quæ opiatis, potionibus, julepis adjici ſolent; ad eamdem pertinent familiam cancri fluviatiles & marini, viperæ, ſerpentes montani &c. è quibus antiacidus paratur pulvis, vel conficiuntur juſcula eumdem ad ſcopum utilia; verum ſicuti remedia quæ in hoc, præcedentique articulo recenſentur, majori, quam cetera, pollent virtute, ſic cautela prudentiori opus eſt, ne uſu præpoſtero turbas graves in ſanguine cieant, acida immoderatius fermentando: quo circa neceſſum eſt (*a*) ut modica doſi initio exhibeantur, interjecto identidem ad quieſcendum intervallo. (*b*) ut prægreſſo uſui diluentium & emollientium poſtponantur, quæ acida craſſiora extenuaverint. (*c*)

ut

ut iis, quibus carnoſior atque humidior corporis habitus, adeoque in quibus ſanguinis diatheſis ſicca cum acida dyſcraſia nequaquam complicatur, tantum præſcribantur.

6°. Vegetabilia, aut vegetabilium partes quæ multiplici experimento deprehenſa ſunt, antiacida pollere virtute, ut cochlearia, becca. bunga, armoracia, lupulus, radix valerianæ ſylveſtris, zedoariæ, carlinæ, hellebori nigri, bardanæ, pæoniæ majoris, cortex peruvianus, radix ſalſæparillæ, chinæ, lignum ſanctum, ſaſſafras, quæ integra juſculis, apozematibus, ptiſanis incoquuntur, vel potionibus aut opiatis, pulveris forma, adjunguntur.

7°. demum accommodata imperanda eſt diæta, quæ remediorum efficaciam excitet; idcirco jure ex avibus & quadrupedibus, vel carne eorumdem potiſſimum avicularum, quæ inſectis ſuſtentantur, ut ſunt fringilla, turdus, perdix, columba, gallina &c. nutriendus eſt æger; aromata, ut piper, nux moſchata, cinnamomum, proficua ſunt, niſi ſiccior obſtiterit diatheſis; vini veteris, quodque nullius acoris ſit particeps, permittendus eſt uſus, exercitia corporis magna, vigiliæque protractæ eſſe debent; a curis etiam, ſollicitudine, contentione vacuus omnino ſit animus, præſertim a paſtu, a fructibus horæis quibuſcumque acidis, aut facile aceſcentibus abſtinendum eſt, ac tandem decocto caffè, vel baccarum juniperi frequenter utendum eſt.

De indicationibus dyſcraſiæ acris, aut ſalſo-acris & ammoniacalis.

III. Ad dyſcraſiam acrem generice ſumptam revocari debent multæ ac variæ ſanguinis conſtitutiones, quæ a naturali craſi non parum abludunt. 1°. nimirum dyſcraſia acris proprie dicta, ſive biliоſa, in qua ſalia acria, volatilia. 2°. dyſcraſia ammoniacalis, in qua ſalia ſalſo acria, volatilia, ſali ammoniaco analoga. 3°. dyſcraſia muriatica, in qua ſalia ſalſo acria, fixa, ſali muriatico congenera, prædominantur: Quamquam recenſitæ dyſcraſiæ & cauſis & effectibus plurimum differant; tamen ut emendentur, ſimilia auxiliorum genera indicant, e quibus Medicus materiæ medicæ gnarus ea caute ſeligere poterit, quæ pro morbi ratione, vel circumſtantiis adjunctis efficacius profutura videbuntur.

1°. quidem diluentia & humectantia omnia, quæ *ſupra* propoſuimus *ad ſiccam, gummoſamque ſanguinis diatheſim*, unde repeti poſſunt, conveniunt: horum uſu craſſiores ſalium moleculæ in tenuiores attenuantur particulas, quæ cum lotio facilius excluduntur, quæque, ſi intra ſanguinem retineantur, minorem poſtea efficaciam exerunt, cum ſalium energiam cæteris paribus ex mole, pondereque particularum, quibus conſtant, æſtimandam eſſe demonſtratum ſit.

2°. Incraſſantia, inviſcantia & mucilaginoſa, qualia *ſupra* ſuaſimus *ad diſſolutam diatheſim*: ſiquidem illorum uſu ſalia irretita, implicata, obvoluta acrimoniam qua pollent, deponere ex parte debent, quandoquidem demonſtratione liquet ſalium quorumcumque efficaciam & acredinem ceteris paribus ex eorumdem extricatione & libertate ad agendum eſſe æſtimandam.

3°. Lacticinia omnia, quæ ad incraſſantium familiam pertinent, ſimiliaque afferunt commoda, illorum ut multiplex ſpecies, ſic etiam uſus eſt aliquatenus diſpar: *primo* tria ſunt lactis genera, quæ uſurpan-

cantur, asininium, vaccinum, & caprinum; ovillum enim, utpote prassius, caseoque nimium grave, perpetuo reprobandum censemus, nisi cætera prorsus deficiant: asininum tenue, serosum, diluens, humectans, temperans est, unde dyscrasiæ acri, sicciori apprime convenit, nisi contraindicetur diarrhœa: vaccinum pingue, butyrosum, in, crassans, nutriens, observatur, unde dyscrasiae acri, & fere causticæcui tabida corporis extenuatio juncta est, utile indicatur; caprinum demum inter utrumque medium est, & utriusque defectum supplet. *Secundo*, recensita lactis genera multifariam administrantur: (*a*) cruda & sine coctura, quod in asinino solemne est, at in vaccino rarum. (*b*) deflorata, & ebutyrata blanda ebullitione, quod in vaccino utile est, ne stomachum nimium gravet. (*c*) diluta additione appropriati liquidi, quocum aliquandiu ebulliant & ebutyrentur: quæ præparatio caprillo, sed præsertim vaccino, quod crassius est, competit.

4°. Cremores etiam varii mucilaginei ex frugibus farinaceis non fermentatis, cocti ut ex hordeo, avena, oryza, spelta &c. quæ prius probe deglubantur: at porro advertendum est (*a*) ut cremores ex aqua fiant, vel ex jure leviore, ut efficacius temperent. (*b*) ut diu coquantur, ut nimia extenuetur visciditas. (*c*) ut diluti sint, ne crassitudine in ventriculo hæreant, atque difficilius distribuantur.

5°. Acida omnia, quæ alkalina aut salso-acria destruant, & in mitiorem salis salsi speciem convertant; in hunc finem eligi possunt ex vegetabilibus, acetosa, oxytriphillum acetosum, cerasa acida, fructus berberis, ribesia, succus limonii, citri, tamarindi, succus acaciæ, cremor tartari, sapæ, myvæ roob &c. quæ acida sunt, ut omphacium de berberibus, de ribesiis &c. gelatina vel myva cydoniorum; ex mineralibus vero spiritus acidi sulphuris, vitrioli, nitri, salis communis, tam puri, quam temperati admixtione spiritus vini: sal prunellæ, sive crystallus mineralis &c. e quibus apto delectu juscula, ptisanæ, julepi qui anti-alkalina polleant virtute, parari possunt.

6°. Quæcumque terrea facultate alkalina & salso-acria absorbent aut obtundunt, ut terræ sigillatæ plurimæ, Lemnia, Melitensis, Blesensis, Monspeliaca: Creta, calcinata ovi putamina, corallia, crocus martis astringens.

7°. Denique diæta ipsa in eumdem finem conspirare debet: a salsis, piperatis, acribus, omnibus alimentis abstineat æger; lacte tantum, offis, cremoribusque dilutis nutriatur, interdicto carnis usu; quieti, somnoque consulat, cœlum subfrigidum, humidumque eligat: mentis contentionem, pathemataque vehementiora vitet, vino moderate utatur, liquorum vero ardentium usum nesciat; concedendi demum fructus horæi, acidiusculi, acido-dulces, facile acescentes, ut fraga, cerasa, ribesia, pepones, uvæ &c. nisi ventriculi ratio, remediorumque usus contrarium suadeant.

De indicationibus quæ morbosis sanguinis motibus conducunt.

Tribus motibus agitatur sanguis, fluiditatis, fermentationis, & circulationis, quorum unusquisque dupliciter peccare potest, excessu nempe, & defectu: Bina quidem, & contraria illa sanguinis vitia, quæ ad fluiditatem pertinent, cum gummosa atque dissoluta sanguinis

diathe-

diatheſi ita coincidunt, ut eadem auxilia indicent, quæ *ſupra* ſuo loco protulimus; quamobrem ne crambem recoquere videamur, uberiorem jam explicatæ rei tractationem omittendam cenſemus; reſtat ergo ut indicationes, quæ auctæ & imminutæ tum circulationi, tum fermentationi proſunt, ſigillatim expendamus, quos quidem, ſeu maxime congeneres, ſimul proferre viſum eſt, cum experientia conſtet fermentationem & circulationem ſanguinis eodem ferme paſſu procedere, atque iiſdem remediis præternaturaliter auctas compeſci, imminutaſque intendi.

De indicationibus fermentationis & circulationis præternaturaliter auctarum.

I. Fermentativus ſanguinis & circulatorius præternaturaliter aucti motus debentur vel nimiæ luctæ principiorum heterogeneorum, quorum copia, moles, extricatio præternaturalis eſt, vel citatiori cordis contractioni, vaſorumque quæ prætermodum tenſa & elaſtica, aut a cauſa qualicumque frequentius ſollicitata, frequentiore ſyſtole oſcillant.

Experientia certum eſt, præternaturali illorum motuum augmento, univerſa totius corporis vaſa ſanguifera, tum orgaſmica rareſcentia nimium diſtendi, tum celeriori ſanguinis motu fortius impeti; unde compreſſiones, infarctus, hærentiæ, phlogoſes, inflammationes, gangrænæ, rupturæ vaſorum impendent: Ex his itaque conſequens eſt ab aucta circulatione & fermentatione ſanguinis ſequentia auxiliorum genera indicari.

1°. Miſſionem ſanguinis ſæpius iterandam, pro morbi vehementia, ætate, viribus, temperieque ægrotantis; quandoquidem demonſtratione liquet, pro quantitate detracti cruoris, tum fermenteſcentis ſanguinis rareſcentiam, tum circulationis impetum ſimul imminui. 2°. aquea, diluentia, humectantia, mucilaginoſa, qualia *ſupra* prolata ſunt *ad ſicciorem diatheſim:* ut ptiſanæ diluentes, & temperantes, decoctum leve pulli gallinacei junioris, emulſiones coctæ, vel ſerum lactis pro potu ordinario &c. quorum largo uſu craſſiora ſalia heterogenea in minutiores particulas diſſolvuntur; unde agitativus motus remiſſior, nimiumque elaſticæ vaſorum tunicæ relaxantur, unde lentior circulatio. 3°. ſubacida aut facile aceſcentia uſurpata, ptiſanæ vel julepi forma, *qualia ad acrem dyſcraſiam ſupra ſuaſimus*. Conſtipata enim inde denſius ſulphurum compage, fermentativa ſalium heterogeneorum cohibetur lucta, atque alteratis, & in melius mutatis acribus, aromaticis, bilioſis partibus cruori permixtis, quibus citatiores organorum circulationi famulantium contractiones ſtimulantur, præceps remittitur ſanguinis motus. 4°. diætam parcam & tenuem, ex ſolis juſculis, & juſculis quidem dilutioribus, potiſſimum per morbi initia; ne uberiori crudioris chyli proventu, quem ſolidiora ſuggererent cibaria, febrilis fermentationis, circulationiſque orgaſmus intendatur. 5°. purgationem & vomitum, ut vitioſa cacochylia, quæ in primis viis nidulatur, quæque ſanguini perpetim inſtillata febrem fovet, eliminetur, cui operi emetica, cathartica, enemata ſunt accommodata. 6°. ſomnum, narcoticis infra proponendis inductum, ſi ſponte non accidat, quo, relaxato partium & vaſorum tono, ac imminu-

imminuto ſpirituum fluxu, ſenſim fermenteſcentis, circulantiſque ſanguinis vehementia elangueſcere ſolet. 7°. denique animi, corporiſque quietem ſummam, temperatum hyberno tempore cubiculum, æſtivo vero ſubfrigidum, puroque aeri pervium habitet: ſtragula pro anni tempeſtate varia, ſed quæ neque pondere graviora, neque lanea mollitie calidiora ſint, niſi ſudor exituriens, effloreſcentiaque cutis & exanthemata, contrarium jufferint.

De indicationibus fermentationis & circulationis præternaturaliter imminutæ.

II. In ſanguine præternaturaliter imminuuntur fermentatio & circulatio, 1°. nimia ejus inſpiſſatione, qua congreſſuris principiis heterogeneis minus pervius fit, potentiiſque circulationem promoventibus minus obſequioſus evadit. 2°. præternaturali inertia cordis, arteriarum, cæterarumque omnium corporis partium, a contextus laxitate, ſpirituumve penuria inducta; unde neque ad circulandum pelli, neque ad fermentandum debita vi ſubigi poteſt contentus cruor.

Ex ſimultaneo motus utriuſque decremento conſequens eſt 1°. univerſas humorum ſecretiones imminutum iri, atque recrementitia fluida ſolito craſſiora & ſpiſſiora, minus pulſa, ignaviuſque promota, intra propria incernicula vel emiſſaria ſubſtituta fore, unde infarctus, obſtructiones, tumores, ſchirri viſcerum &c. 2°. Sanguinem ipſum eſſe ſtagnaturum, in iis potiſſimum partibus, quæ debiliori pollent elatere, ut ſunt pulmones, cerebrum, viſcera omnia, unde diſtentiones, compreſſiones, phlogoſes, inflammationes eorumdem.

Ut autem tot ac tam diverſæ corporis affectiones antevertantur, ſequentia tempeſtive adhibere expedit remedia, quibus geminus ſanguinis motus efficaciter intenditur. 1°. Attenuantia, aperientia, incidentia, quæ *ſupra ubi de gummoſa ſanguinis diatheſi*; hæc enim medicamenta, vi eadem qua ſanguinis fluiditatem augent, eadem ſimul tardam accelerant circulationem, & languentem fermentationem excitant, qua in re ceteris omnibus efficaciora cenſentur a quacumque cauſa corrigenda vitia dependeant. 2°. Aquea, diluentia, *quæ ad ſiccam diatheſim propoſuimus*; verum illa non temere ſunt in omni caſu præſcribenda, quamvis enim perpetuo proſint, ſi a ſpiſſitudine craſſiori producatur morbus; nocerent e contra plurimum, ſi a partium inertia, aut laxitate foveretur. 3°. cardiaca, aromatica, ſpirituoſa, *quæ infra ſuo loco fuſe proponentur*, *ubi de virium proſtatarum & languentium inſtauratione*, inter conſervatorias indicationes. 4°. tandem diæticam eamdem vivendi rationem quam ad gummoſam diatheſim, acidamque dyſcraſiam jam propoſuimus.

De indicationibus quæ a morbis compoſitis deducuntur.

III. Morbi compoſiti, qui numero plurimi, & compoſitionis modo multiplices, univerſam fere morborum hiſtoriam complectuntur, ad tria genera ſat apte revocari poſſunt; alii enim ex duabus vel pluribus affectionibus, quæ ad fluida ſolum; alii vero ex duabus vel pluribus affectionibus, quæ ad ſolida tantum: alii tandem ex duabus vel pluribus componuntur, quæ partim ad ſolida, partim ad fluida

pertinent; ſed hæc ad pathologiam proprie ſpectant, ubi complicatorum morborum cauſas inquirimus; videtur præſenti inſtituto convenientius tres eorumdem morborum ſpecies ſimiliter diſtinguere, ſed alia ratione, ſcilicet pro diverſa indicationum natura, quas morbi ſimplices, ex quibus reſultant, ſuggerunt: prima erit morborum in quibus ſimplices affectiones eadem ſimul, altera eorumdem in quibus ſingulæ diverſa, tertia demum eorum in quibus ſingulæ indicant contraria.

1°. Quidem ſingulares affectiones, quæ concurſu complicato generant morbos, eadem auxilia quandoque poſtulant; ſic v. g. dyſcraſiæ acri, & diſſolutæ diatheſi coincidentibus, conveniunt utroque nomine inviſcantia, incraſſantia, mucilaginoſa, ut lactantia, cremores, ptiſanæ demulcentes, aliaque quæ *ſupra* expoſuimus: tunc etiam expeditum eſt agendi conſilium, cum iiſdem indicationibus, eodem remediorum genere ſatisfacere facile ſit, ſeu ut vulgo dicunt, *una eademque fidelia, duos delabare parietes*.

2°. Singulares affectiones diverſa ſæpius auxilia indicant, ſed quæ contraria non ſunt: ſic ad craſſum & gummoſum ſanguinem aperientibus, & incidentibus opus eſt; aqueis vero & diluentibus ad ſiccam cruoris diatheſim, quæ plerumque craſſitudinis comes eſt; ſed neque ulla gravis eſt ambigendi ratio, cum aperientia, diluentia, cæteraque iſtius modi remedia, quæ diverſa ſed contraria non ſunt, commode maritari, atque ſimul adhiberi poſſint.

3°. demum ſingulares affectiones contraria remedia quandoque indicant; ſic in cachexia a diſſoluto ſanguine, quæ inveteratis obſtructionibus ſupervenit, incraſſantia a diſſolutione, attenuantia vero, aperientia ab obſtructionibus ſimul indicari manifeſtum eſt, quæ quoniam ex adverſo inter ſe pugnant, neque ideo ſimul adminiſtrari poſſunt, ſollicitum & ancipitem Medicum habent, quam partem, ut potiorem, eligat plane incertum; in ea autem obſcuritate & dubitatione prudenti Medico caute ſequentes tenere normas expedit. (*a*) videlicet remedia, quæ ſimul indicantur, modo non ſint e directo contraria, copulare; ſic decocta ſudorifica, & vulneraria lacti adjungimus ad fines ferme oppoſitos. (*b*) ſi ita contraria fuerint, ut ſimul adminiſtrari non poſſint, nimiam eorumdem energiam, alternato uſu viciſſim temperare; ſic lac & aperientia alternare quotidianum eſt. (*c*) ad indicationem, quæ urgentior eſt, & a qua gravius, certius, præſentius periculum impendet, potiſſimum attendere: ſic in cachexia, quæ ſummam ſanguinis diſſolutionem adjunctam habet, poſt habitis aperientibus, lac tantum uſurpamus. (*d*) demum in hac pugnantium indicationum contrarietate, mitiora & ad alterutram ſeligere convenit remedia, ne dum unam cauſarum efficacius oppugnare ſatagimus, alteram impenſius exaſperemus.

De indicationibus mitigatoriis quæ a ſymptomatibus urgentibus deſumuntur.

A morbo, tanquam a cauſa, dependent ſymptomata: unde ea tantum, quæ morbum curant, poſſunt & ſymptomata perfecte curare: unde eſt quod ſymptomata nullas unquam habeant indicationes vere curato-

curatorias, quæ ab indicationibus morbi, quem ſequuntur, diverſæ ſint.

Verum, ſi vehementius ſæviant ſymptomata, atque adeo continuitate vel ferocia ægrotos diſcrucient, ac male habeant, optatorumque remediorum uſui vel efficaciæ obſtent, auxiliis tunc opus habent certis, peculiaribus, ſpecificis, quibus mitigentur, ſeu ut vulgo loquuntur, pallientur; unde indicationes mitigatoriæ, ſeu palliativæ quæ a ſymptomatibus urgentioribus deducuntur, quæque paucis jam explicandæ ſunt.

Longum autem, tædioſumque foret ſingula ſymptomata, quæ mitigatione interdum egent, ſingulaſque indicationes, quæ ſingulis proſunt, ſigillatim expendere: tunc enim ea methodo univerſa morborum particularium therapeia eſſet congerenda; ſatius atque præſenti inſtituto convenientius videtur, ex quacumque ſymptomatum ſpecie, pauca ſeligere exempla, quæ methodum doceant; Itaque quoniam univerſa ſymptomata, a Pathologicis ad tres ſpecies revocari ſolent, nimirum ad actiones læſas, excretorum vitia, & qualitates mutatas, ſimili quoque ordine partiemur hæc, quibus exempla e ſingulis ſymptomatum ſpeciebus ſelecta ſigillatim examinabimus.

De actionibus læſis, & de indicationibus mitigatoriis ſeu palliativis inde deducendis.

Actiones omnes, ſive naturales modum teneant, ſive læſæ præternaturaliter exerceantur, tergeminæ ſunt, ut Phyſiologia & Pathologia docet, animales nempe, vitales & naturales, quapropter tria quoque futura ſunt capita, ut ſingularia ſingularum actionum læſarum exempla proferamus.

De læſis functionibus animalibus, ubi potiſſimum de agrypnia & mitigatoriis ejuſdem indicationibus.

I. Agrypnia, ſeu pervigilium contumax a triplici producitur cauſa: id docet Pathologia.

1o. Si ſpiritus copioſi, prompti, mobiles, ſicci, calidi, elaſtici, ſingula calloſæ ſubſtantiæ ergaſtula repleant, nimiamque fibris tenſionem concilient, ut in orgaſmo febrili, jejuniis diutius protractis, partium infimarum frigore, quo ſanguis in cerebrum uberius determinatur.

2o. Si ſpiritus inquilini emporii, qualeſcumque ſint, fortius agantur, moveantur, concutiantur a refluxibus ſenſiferis vehementioribus, aut doloroficis quibuſcumque, a nimia animi contentione, aut meditatione, a pathematibus concitatis & impotentibus, quorum omnium exempla nemini non ſuppetunt.

3o. Si fibræ prætermodum agitatæ, ſiccæ, tenſæ, elaſticæ, atque adeo continuo motu vibratiles ſint, ut in maniacis, phreneticis, febricitantibus, melancholicis, meditabundis, ſenibus, jejunantibus &c.

His ſingulis, variiſque agrypniæ cauſis, arte varia medendum eſt, ut naturalis redeat ſomnus; ſed ſi diuturnum, continuum, immodicumque ſit pervigilium, neglecta morbi cauſa, quæ operoſiore therapeia plerumque oppugnanda eſt, mortalibus ægris gratiſſima palliativo remedio concilianda eſt quies.

Solent remedia propoſito ſcopo idonea, narcotica dici, quia ſtuporem ſeu narcoſim; aut hypnotica, quia hypnoſim ſeu ſomnolentiam inferunt. Laudabantur olim in hunc finem papaver album, atque opium ex ejuſdem maturis capitulis ſtillans, ſponte vel arte expreſſum: hyoſciamus, cynogloſſum, mandragora, ſolanum, aliaque nonnulla venenoſa magis quam proficua, ideoque uſu jam penitus obſoleta.

Ex iis olim multigena fiebant electuaria, quæ in antiquioribus diſpenſatoriis paſſim proſtant; ſed cum narcotica quævis quarto gradu frigida crederent, calidiora pharmaca, ut pyrethrum, piper, euphorbium, &c. illis adjungere ſolemne erat, quæ ſtupefacientem illorum virtutem obtunderent. Ea methodo confecta fuere Requies *Nicolai*, Triphera magna *Nicolai*, Mithridatium *Damocratis*, Philonium, ſic ab inventore PHILONE dictum, quod olim quadruplex erat, Philonium nempe majus, ſive Romanum, Philonium Perſicum, Philonium Tarſenſe ſive *Galeni*, & Philonium *Meſue*: Theriaca *Andromachi Senioris*, Pilulæ de cynogloſſo, aliaque ejuſmodi non pauca; ſed quorum omnium, ſola etiamnum theriaca uſu valet, quæ ſane tutum eſt & efficax narcoticum in teneris & lactantibus, infantibus modo recens ſit a granis IV. ad ℈. j. pro varia ætate.

Antiquatis narcoticis, quæ recenſuimus, alia ſucceſſere tutiora, efficaciora, ſimplicioraque, ex papavere albo noſtrate, aut ex opio, ſive papaveris albi Ægyptiaci, vel Orientalis ſucco deſumpta.

Ex papavere quidem noſtrate, duo mitiſſima conficiuntur narcotica. 1°. decoctum unius aut alterius capituli maturi, in umbra ſiccati, ſeminibus turgidi, in ſufficienti aquæ communis quantitate: doſis eſt ab ℥. j. ad ℥. ij. vel iij. cum admixto ſyrupo Nymphææ aut Capillorum veneris; raro tamen, propter amaritiem, interne adhibetur; ſed frequenter enematibus anodynis, & paregoricis, ad dyſenteriam, vel teneſmum adjungitur, aut iiſdem capitula ipſamet incoquuntur no. j. aut ij.

2°. Syrupus papaveris albi, ab antiquis diacodium dictus, ex fortiſſima & iterata capitulorum papaveris albi decoctione, & expreſſione, cum ſaccharo ad debitam conſiſtentiam, per cocturam inſpiſſata, confectus: doſis eſt a ℥. iij. ad ℥. vj. vel ℥. j. ſolus quandoque exhibetur aqua fontana, ptiſana ordinaria, aquave diſtillata borraginis, cichorei, lactucæ, &c. aliquantulum dilutus; quandoque vero julepis appropriatis, vel emulſionibus additur; plerumque ſolemne eſt ſimul addere aquam naphæ ad cochlear unum, quæ cardialgiis & anxietatibus obviam eat, quæ ſyrupi illius uſu in nonnullis advocantur.

Ex opio vero, ſive ex ſucco nigricante, amaro, viroſo, reſinoſo, gummoſo, qui ſe ſauciatis papaveris capitulis maturis exſtillat in Ægypto circa Thebas, unde Thebaici nomen obtinet, remedia totidem uſu præſtantiſſima confici ſolent.

1°. Eſſentia opii, ſeu tinctura anodyna, quæ varia eſt, & multiplex (*a*) ratione menſtruorum quibus extrahitur; ſiquidem pro diverſo Medici ſcopo adhiberi poſſunt ſpiritus, vel phlegma aceti, ſuccus cydoniorum, vel aurantiorum, vinum canarinum, aqua communis ſale tartari acuata, aqua vitæ, ſpiritus vini &c. (*b*) ratione ſpecierum quæ cum opio admiſcentur, quæ ſunt plerumque cardiacæ, ſtoma-

ſtomachica, calida medicamenta, qualia ſunt crocus orientalis, cinnamomum, caſſia lignea, cariophylli, cardamomum, ſemen carvi &c.; ex ſolio opio, paratur etiam tinctura anodyna. In genere anodyna quæcumque tinctura, vel ſola ſumitur ex cochleari cum vehiculo appropriato, vel emulſionibus, julepis, opiatis, pilulis &c. admiſcetur: doſis plerumque a gutt. XII. ad XXX. extenditur: verum, cum plurimum variare poſſit illa, prout magis vel minus ſaturata fuerit tinctura, prudentem Medicum, qui novam præſcripturus eſt tincturam, a Pharmacopola inquirere decet, quot illius guttæ uni opii ſolidi grano reſpondeant, ut inde doſim tutius definire valeat.

2°. Extractum quod ab ignaris Chymicis, voce barbare detorta, laudanum dicitur, quaſi laudandum; hujus præparatio facilis eſt; tinctura opii, quam modo deſcripſimus, leni igne ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatur; inde eſt quod totuplex ſit laudanum, quotuplicem opii tincturam eſſe diximus: ſumi ſolet laudanum vel minimæ pilulæ forma, quæ communior eſt ſumendi ratio, vel pulveris, ſi ſiccum cum anatica ſacchari parte conteratur: vel demum in emulſionibus, julepis &c. diſſolvitur: doſis eſt a gr. ſß. ad gr. j. vel ij.

Verum quod olim ab Æſopo de lingua dictum meminimus, idem de narcoticis haud immerito dici poteſt; nimirum nec melius, nec pejus quidquam inveniri; ſicut enim narcotica caute & prudenter adminiſtrata ſummam habent utilitatem; ſic graviter quandoque nocent, ſi temere adhibeantur; quocirca cavendum eſt 1°. ne carcotica ante purgantium uſum præſcribantur, niſi forſan nimia purgantium efficacia videatur de induſtria obtundenda, ut in dyſentericis & cholericis alvi fluxibus. 2°. ne, dum congeſta putri cacochylia gravior eſt ventriculus, exhibeantur, niſi prius cumulata ſaburra vomitu & catharſi eliminata fuerit. 3°. ne in ullo ſalutari, vel critico fluxu, niſi nimius fiat, adhibeantur; inde eſt quod mulieribus menſtruantibus, aut puerperis interdicatur opium: inde eſt quod in ptyaliſmo, quo ſyphilidem curare ſolemne eſt, ab opio caute abſtineamus; unum exceptum ſudorem arbitramur, quo ubertim fluente opiatica nedum vitare, ſed e contra data opera exhibere conſuetum eſt; quoniam quotidiana docet experientia nuſquam tutius & efficacius ſudationem promoveri, quam ſi opiatica ſudorificis & diaphoreticis debita doſi admiſceantur. 4°. ne narcotica iis umquam adhibeantur, qui gravi, acutove morbo exhauſti, fatiſcentibus viribus, in extremo mortis agone verſantur; neque enim incaſſum ea infamari debent remedia, quæ multis ſaluti fuere. 5°. ne narcotica opiatica iis præſcribantur, qui ab opiaticorum uſu vomunt cum impetu, aut male ſe habent obortis cardialgiis, ſyncope, aſphyxia &c. & ideo vero cum in variis hominibus, varia ſit opiaticorum agendi ratio, expedit opii præparata minima doſi inexpertis primum exhibere, periculi gratia, ut facto experimento ſecurius deinde exhibeantur. 6°. ne, ſi enematibus addantur, ut in colicis, nephriticiſque doloribus frequens eſt, largiori doſi adhibeantur, in quo ſæpius peccatorum fuiſſe novimus; quamvis enim a lactei vaſis, quæ in inteſtinis craſſioribus pauca ſunt, paucæ opii guttæ abſorbeantur, nihilominus tamen, cum integræ ſint viribus, neque fermentorum digeſtivorum energia ullatenus alteratæ, vetternum nimium inferre ſolent. 7°. demum ne eorumdem diuturnior uſus temere permittatur, qui aucta in dies doſi in aſſuetudinem

tandem abire poſſit; tunc enim ſi optatum detur opium, ſopore continuo detinentur ægri, non abſque notabili œconomiæ animalis detrimento; ſi vero denegetur, anxietate, & animi ſollicitudine procelluntur, aliquandiu miſeram & inſomnem vitam ducunt, donec ſenſim obſoleſcat vetus conſuetudo, quæ naturæ vim obtinet.

Verum utpote quod præcipua hujus affectus cauſa ſit dolor; quædam ſunt præmittenda, etiamſi ad hoc opuſculum nequaquam pertineant, de dolore, remediiſque anodynis. Anodyna ſunt ea medicamenta, quæ dolorem in genere tollunt.

1°. Corporis noſtri fluidæ partes non dolent; ſed ſolidæ tantum; hæ vero quatenus ex Nervis conflantur, non aliter: Nervi porro alii ſunt aperti, cavique, alii conſolidati; prioris autem dumtaxat generis Nervi Doloribus afficiuntur.

2°. In omni nervo adhuc vitali ſi conſideretur ejus ultimum componens, occurrit ſolummodo Membrana tenuiſſima, ſimul & liquidum in ea detentum, coercitumque: omnis autem membrana ultima nervoſa, cujuſcumque nervi, conſtat fibris ſolidis & non cavis; quæ vero componuntur ex partibus incredibiliter exiguis ac minimis, ad ignem aut æquam vix mutabilibus; liquidum porro ibidem contentum, eſt omnium tenuiſſimum.

3°. Ergo omnis Dolor eſt affectio quædam vel ſolidæ membranæ, vel ex fluido contento oriunda, vel ex utroque.

4°. Cauſæ omnes quæ Dolorem producunt, utut in liquida agant, eaque mutent, nunquam dolorem creare poterunt, niſi pro effectu talem habeant mutationem, quæ ſolida afficiat.

5°. Omnis ergo Dolor pendet a mutatione quadam contactuum in ultimo ſolido nervi, quatenus adhuc fluidum continet.

6°. Dolor omnis fit ab actione quæ in ultima fibra talem excitat motum, qui, ſi continuetur, aut augeatur, neceſſario iſtius fibræ continuitatem deſtruet; idque docent omnes quorumcumque dolorum hiſtoriæ: hinc & omnis dolor ingens, diu durans, rupturam vaſorum, partiſque deſtructionem pro ſuo habet fine; ſic ab inflammatione, ſuppuratio & gangræna; & a dolore nervoſo, inſenſibilitas tandem oriuntur; motu itaque illo ſublato, tollitur quoque dolor.

7°. Omnis cauſa doloris, quatenus in unam agit fibram, agit dumtaxat vel trahendo, vel premendo, vel vulnerando; ſi vero agat in plures tubum conſtituentes, tunc temporis conſiderari poteſt ut inflans & diſtendens huncce tubum: quidquid igitur dolorem creat, id operatur vel trahendo, vel premendo, vel diſtendendo, vel vulnerando.

8°. Tractio omnis, in corpore ſaniſſimo, dolorem excitat, elongando fibras, uti quidem docent carnificum torturæ.

9°. Magnam a contentis liquidis vaſorum diſtentionem, fibras elongando, dolorem inducere hiſtoria docet medica; hoc enim patet ex tumoribus dolentibus, ubi, ſublato tumore, ceſſat dolor: notandum eſt porro quod, licet diſtentum idem remaneat vas quoad longitudinem, attamen fibræ laterum ab iſta diſtenſione poſſint elongari.

10°. Vulnerantia omnia proprie ſic dicta operantur, vel pungendo, vel terebrando, vel ſecando: quandiu autem agunt, dolorem excitant elongando fibras; ſimul ac vero effectum produxere, ceſſat dolor: hinc etiam nervus abſciſſus nequaquam dolet.

11°. Ignem,

11°. Ignem, omniaque acria inviſibilia ſimili plane ritu, ac enumeratas cauſas, agere in acrium hiſtoria fuit evictum.

12°. Dolor in aliqua parte excitatus tollitur (*a*) nervo deſtructo in parte ubi dolor eſt: deſtruitur vero nervus, quando liquidum per eum fluere non poteſt amplius. (*b*) Motus dolorem excitantis intercepta communicatione cum ſenſorio communi. (*c*) Cerebro inepto reddito ad communicationem cauſæ dolorificæ recipiendam; uti patet ex Apoplecticis, omnibuſque iis quibus cerebrum aliqua de cauſa compreſſum eſt.

13°. Fibrillæ unius ultimæ dolor infimus & mitiſſimus oritur a motu, ſolito aliquantulum majori, fibrillæ ſuperinducto; cujus finis eſt perceptio gratiſſima: quæ vero quatenus a miti vellicatione fit, dicitur titillatio; quatenus autem a roſione liquidi contenti, vocatur pruritus: ſic odor gratiſſimus & ſapor, ſi diu ac vehementer percipiantur, dolorem excitant; idem etiam in ſonis obtinet.

14°. Fibrillæ unius ultimæ dolor ſummus & vehementiſſimus oritur a diu continuata ejus elongatione, quam proxima diſſolutioni, ſed tamen abſque diſſolutione.

15°. Augmentum vero doloris ſummum oritur a numero fibrillarum ſimul affectarum; etenim duæ fibrillæ ſic affectæ non tantum excitant dolorem, ac ſi plures ſimul affectæ forent.

Ex dictis igitur manifeſtum eſt, quod omnis dolor oriatur a diſtractione, ſive nimia fibrarum elongatione: quæ quidem ſi procedat ab externa cauſa, tolli poteſt ablatione iſtius cauſæ: ſi vero ab interna cauſa fiat, examinandum eſt, prius qualis hæc ſit, ut dolorem tollere valeamus. Jam vero nimiæ diſtractionis cauſæ internæ ad quinque reducuntur; ac proinde toridem ſunt medicamentorum anodynorum ejuſmodi cauſas tollentium claſſes.

Hæ porro cauſæ ſunt 1°. nervi alicujus ſemilaceratio: pars etenim illa nervi ſemilacerati, quæ manet illæſa, multo majorem impetum, ſeu contractionem ſuſtinet, quam in ſtatu nervi ſano; unde ſequitur ejuſdem diſtractio, ſeu elongatio. Ponamus ex. g. AB nervum eſſe conſtantem ex tribus fibris, quæ,



dum integræ & illæſæ ſunt, ſuſtinent ſimul omnem illam vim, qua nervus conatur ſe contrahere, atque verſus puncta AB, quibus affigitur, reſilire: ſi jam una ex iſtis fibris rumpatur ad C, reliquæ duæ totam vim ſuſtinebunt, quæ quidem a tribus antea ſuſtentata fuerat; hinc vero diſtractionem & dolorem neceſſario patientur. 2°. Inflatio nimia a Spaſmo. 3°. Diſtenſio ingens ab aliquo obſtruente, & vi vitali urgente. 4°. Diſtenſio nimia ab acri impacto. 5°. Diſtractio Nervorum ab elatere proprio ſupra corpus aliquod durum & impactum, ut ſupra calculum in uretere.

Cauſam primam auferunt 1°. integra diſciſſio, vel uſtio nervi ſemilacerati: hoc igitur ſenſu cultelli, ignis & cauſtica potentialia ſunt anodyna ſumma. 2°. partium laceratarum ad ſe mutuo adductio: nam in ſummis doloribus hæc ſæpenumero mire juvant, uti experientia docet; dolet enim muſculus vulneratus, quamdiu quidem hiat, partibus vero ad ſe invicem adductis, ceſſat dolor: huc ergo pertinent ſuctio, ligaturæ, ſuturæ. 3°. Nervi totius emollitio & laxatio; quæ quidem efficiunt, ut partes illæſæ nervi abſque dolore in longum pro-

tendantur: huc itaque ſpectant omnia laxantia, & emollientia; quæ-lia ſunt aqua calida; poſca levis, ſcilicet ex una aceti, & tribus aquæ partibus; decocta emollientia farinoſa, ſuboleoſa, eaque ſpecie emplaſtri, fomenti, vaporis, cataplaſmatis, balneive applicata; hauſtus largus ex ſimilibus paratus; balſamica omnia leniſſima, ut Balſamum Peruvianum, gummi elemi, terebinthina, &c. ovi vitello ſoluta & applicata, ut ad locum affectum penetrent; animalium recens occiſorum partes calidæ applicatæ; ita quippe ſummum habetur anodynum, ſi v. gr. in animalis recenter mactati abdomen læſum indatur brachium; 4°. denique prima cauſa tollitur, ſi partes vulneri vicinæ ita mutentur ab aliqua re, ut dureſcant atque reſiliant, & hoc pacto minutas partes ſemilaceratas perfecte ſolvant: talem vero partibus vulneri vicinis mutationem inducunt oleum terebinthinæ, & alcohol vini calide affuſa, & ſimilia; quæ quidem, inter agendum, maximum ſemper dolorem pariunt. Porro ſi alicubi in corpore profunde oriatur dolor a ſemilaceratione, nulla ſpes eſt curæ, niſi, auctо dolore, tandem integre ſolvantur nervi læſi: ſic enim ſi talis dolor in ligamentis hæreat, auferri nequit niſi deſtruatur nervus, quo peracto ſtatim ceſſat dolor; hinc in podagra tophacea nullus fere adeſt dolor.

Cauſam ſecundam auferunt ea quæ ſpaſmi cauſam tollunt: ſpaſmi vero cauſa vel in cerebro, vel in nervo, vel in villo muſculoſo hæret; eaque ſemper eſt vel acre irritans, vel ſpirituum animalium inæqualis determinatio: ſumma proinde in hiſce caſibus remedia ſunt, 1°. potus attenuantes & diluentes, huic acri *quod irritat* oppoſiti, copioſe quidem aſſumpti. 2°. augmentum motus liquidorum.

Tertiam cauſam tollunt, 1°. ea quæ acre impactum corrigunt, mutando ſcilicet figuram ejus acutam in obtuſam: iſtud vero fit, acre cum aliis particulis componendo; ejus acumen vel coctione, vel ſuppuratione frangendo; idem per demulcentia involvendo. 2°. Illa quæ acre impactum educunt: qualia ſunt, quæ vias laxant; hinc *dixit* HIPPOCRATES, *omne dolens ab acri laxandum eſſe*; quæ diluunt liquida; quæ determinant foras, quæ acre impactum ad quietem deducunt: id autem quatuor modis ad quietem componitur; ſcilicet (*a*) liquidorum circulantium, & ſolidorum contractilium impetum minuendo; niſi enim a vi contractili ſolidorum, & a vi projectili fluidorum comprimeretur acre infixum, dolorem utique non produceret; contractio autem in ſolidis laxando minuitur; impetus vero minuitur in fluidis, propius ad ſtatum mortis ducendo, ſive ad mortem appropinquando; hinc etiam omnis dolor paulo ante mortem deſinit; (*b*) impetum aliorſum determinando; (*c*) animi deliquia excitando; (*d*) cauſas externas acre per ſe iners, actione ſua, excitantes (quales ſunt calor, & motus partis) auferendo.

Quartam cauſam tollunt, ea quæ vaſa laxant, infarctum reſolvunt, & vim projectilem liquidorum imminuunt: huc itaque pertinent miſſio ſanguinis, evacuatio quæcumque magna, nec non medicamenta incidentia, attenuantia, reſolventia, diluentia; uti balnea, forus &c.

Quintam cauſam tollunt 1°. omnia illa quæ primam auferunt. 2°. quæ leniter ſubricando, reſolvendo, & ſtimulando impactum movent, & propellunt. 3°. quæ iſtud impactum determinant ad locum ubi minime noceat.

Porro

Porro ſi ingens ſit dolor, ejus vero cauſam tollere non valeamus, tum dolor ſui ipſius ſit medela, ſcilicet hominem deſtruendo: verum tamen quædam extant quæ, licet doloris cauſam non auferant, nihilominus ejus ſenſum imminuunt: qualia ſunt hypnotica, ſive ſoporifera.

Hypnotica autem omnia ad duas ſequentes reduci poſſunt claſſes.

Prima claſſis continet quæcumque ſomnum conciliant, impedimenta ſomni tollendo: hæc vero impedimenta plerumque ſunt objecta externa, dolores, calores, ſudores, varii corporis morbi, animique pathemata; quibus ſublatis, ſponte ſua ſequitur ſomnus: hac itaque ratione omnia fere medicamenta, ut diluentia, reſolventia, incraſſantia, humectantia, exſiccantia, calefacientia, refrigerantia, acida, alkalina, ceteraque innumera, & plane contraria fiunt hypnotica; prout hoc, illudve ſymptoma, quo impeditur ſomnus, auferunt, vel mitigant: ſic enim abſorbentia terreſtria in infantibus, propter acidum (quod in eorum ventriculo ac inteſtinis continetur) doloribus inter vigilandum affectis, ſæpenumero ſomnum producunt: ſic igitur roſa, ſalix, lactuca, taraxacum, endivia, acetoſa, melones, pepones, cucumeres, &c. extrinſecus & intrinſecus adhibita in morbis calidis ſunt ſomnifera.

Secunda claſſis includit ea quæ ſomnum conciliant ſupprimendo cauſas naturales vigiliarum, & imprimis impediendo fluxum liquidi per nervos: hæc autem ſunt triplicia, ſcilicet 1°. mitia & tuta. 2°. fortia & periculoſa. 3°. mala & fere lethalia. Somnifera mitia ſunt illa quæ ſomnum naturalem, levem & facile ſolvendum producunt, qualia ſunt crocus, papaveris rhœados omnes partes, uti ſemen, folia, capita, ſuccus; itemque papaver album, cynogloſſum in omnibus ſuis partibus, ſolanum officinale, ac ſomniferum illud blandum *herba paris* dictum, &c. Fortia ſunt illa quæ ſomnum inducunt coactum, profundum, & vix excutiendum, una cum ſummo ſtupore: hæc autem proprie Narcotica dicuntur; huc vero pertinent opium, hyoſcyami ſemen, &c. Mala ſunt ea quæ producunt ſomnum profundiſſimum, morte plerumque terminandum; ſi vero excuti contingat, ſequitur omnium animi facultatum depravatio: huc porro ſpectant hyoſcyami utriuſque folia, flores, fructus, radices ac ſuccus, nec non ſtramonii ſemen, &c.

De læſis actionibus vitalibus, ubi præſertim de tuſſi & mitigatoriis ejuſdem indicationibus.

II. Tuſſis, ut in Pathologia docetur, eſt valida, concitata, per ſucceſſivas concuſſiones facta, exſpiratio, quæ ſympathice excitatur ab irritatis, punctis, lancinatis, ſuccuſſis trachæa arteria, bronchiis, veſiculis pulmonaribus &c. ea autem trachææ arteriæ, bronchiorum, veſicularum pulmonarium irritatio, ſive ſuccuſſio, binæ cauſæ debetur, nunc ſeorſim, nunc ſimul agenti, nimirum vel immodicæ humoris trachæalis allatas partes perluentes acredini, vel acutiori partium earumdem ſenſui.

Inde liquet tuſſim, pro gemina cauſa a qua dependet, gemino indigere auxiliorum genere, lenientibus nempe, diluentibus, inviſcantibus quæ bechica dicuntur, ſi a nimia humoris trachæalis acrimonia: rela-

relaxantibus vero & ſtupefacientibus, ſi ab acutiore organorum ſenſu ortum habeat.

Primo, inter bechica ſelectiſſima ſunt quæ ſequuntur.

1°. Saccharata omnia, quæ ore diu conclusa, lente volutata, tarde diſſoluta, aerem, qui intermedius inſpiratur, blando, dulci, viſcoſo vapore inficiunt: unde trachææ, bronchiis, veſiculis pulmonum illapſus, acriores humores, & irritantes temperat, inviſcat, edulcorat, atque nimis tenſum partium contextum emollit, oblinit, lubricat, atque adeo gemina ratione ſedandæ tuſſi conducit; in hunc finem laudantur præ ceteris ſaccharum candidum, ſive cryſtallinum, ſaccharum hordeatum & penidiatum, ſaccharum violatum, ſaccharum roſatum album, ſaccharum roſatum rubrum, ſaccharum roſatum perlatum, ſive manus chriſti &c. horum omnium moderata ſit doſis, ne ſtomachum gravent, digeſtioni officiant, in puerulis generent vermes; attamen ab ʒ. j. ad ʒ. ij. in adultis extendi ſolent.

2°. Tabellæ ex mucoſa radice in pulverem redacta, ſaccharoque ſecundum artem confectæ, quæ ſaccharatis efficaciores ſunt ac ſimili methodo operantur; tales ſunt tabellæ ex althæa, tum ſimplices, tum compoſitæ, quæ, ut optatum effectum præſtent, ore diu detineri, tardeque deglutiri debent, quod de ceteris quoque bechicis infra proponendis, intelligendum eſt.

3°. Succi ex mucilagineis & ſubdulcibus plantis extracti, & inſpiſſati, qui cum præcedentibus, tum efficacia, tum operandi modo ad amuſſim conveniunt: iſtius modi ſunt ſucci liquiritiæ, niger, aut ſuccus ejuſdem albus, quorum uſus frequens eſſe poteſt, at cum modo tamen.

4°. Succi ex plantis bechicis recenter expreſſi, & depurati; ut ſucci foliorum borraginis, bugloſſi, tuſſilaginis, papaveris rhœados, &c. qui e foliis iiſdem levi igne maceratis facile educuntur: doſis eſt ab ʒ. j. ad ʒ. iij. pluries in die: ſolent, modo cum juſculis confundi, modo vero ſeparatim propinari, vel ſoli & impermixti, vel ſaccharo aut addito ſyrupo gratiores facti.

5°. Syrupi varii multigeni ex plantis & fructibus bechicis, lenientibus juxta artem compoſiti & præparati; ut ſyrupus capillorum veneris, ſyrupus althææ *Fernelii*, ſyrupus jujubinus, de tuſſilagine, papaveris erratici, ſive rhœados, pomorum tum ſimplex, tum compoſitus, violarum, qui ſinguli identidem pauca doſi ſorbillari ſolent, modo ſoli, modo cum oleo recenti amygdalarum dulcium confuſi.

6°. Ptiſanæ ex *radicibus* althææ, nymphææ, ſymphyti majoris, liquiritiæ &c. *foliis* capillorum veneris, pulmonariæ, hederæ terreſtris, tuſſilaginis, bugloſſi, borraginis &c. *floribus* nymphææ, violarum, malvæ, papaveris erratici &c. *fructibus* nempe jujubinis, pomis regii ſaporis, ficubus pinguibus, paſſulis amygdalis, nucleis pineis &c. infuſione vel decoctione paratæ, quæ, pro potu ordinario, præſcribi ſolent, leni calore tepeſcentes, ne, frigore repentino, fauces, pulmoneſque lædant; prodeſt ptiſanæ ſyrupum quemdam ex ſupra memoratis adjungere, vel etiam mel Narbonenſe debita doſi incoquere, ut inde fiat hydromellis ſpecies.

7°. Pulveres varii lenientes, inviſcantes, diluentes, ut Benzoinum amygdaloides ad ʒ. j. flores Benzoini ad ʒ. ſs. amylum ad ʒ. j. thus maſculum ad ʒ. ſs. ſperma ceti ad ʒ. ij., quæ, aut in formam bolli

ſyru-

ſyrupo, vel gummi tragacantha rediguntur, aut appropriatis aquis ſtillatitiis, vel juſculis diſſolvuntur, quibus antihecticum Poterii, & diaphoreticum minerale ad ℥ ß. addi poteſt.

8°. Multa demum cremorum genera, e frugibus non fermentatis, oryza, hordeo, ſecali, ſpelta &c. aut diverſæ lactis præparationes, de quibus conſuli poſſunt ea *quæ ſupra ad acrem & ſalſo-acrem ſanguinis dyſcraſiam ſuaſimus*.

Secundo, inter relaxantia, nimiumque in pulmonibus ſenſum minuentia, præcipua ſunt. 1°. Sanguinis miſſio quæ, turgida vaſa deplendo, faciliorique ſanguinis circuitui favendo, mollitiei & laxitati pulmonum mire confert, unde ad tuſſim importunam compeſcendam, nec efficacius, nec promptius ullum datur auxilium; e brachio alterutro, niſi cetera ſecus ſuaſerint, eſt imperanda ac ſæpius iteranda pro morbi vehementia, ægrotantis viribus, arteriarum pulſantium modo &c. 2°. Blanda identidem repetita purgatio, quæ cacochyliam, in primis viis nidulantem ac jugi in cruorem affluxu tuſſim perennantem, per inferiora deturbat, partemque ſimul humoris acrioris, pulmones ad tuſſim ſollicitantis, colis abdominalibus, quaſi diverticulis totidem, eliminet; ſolet ea vel manna ſola ad ℥. ij. vel manna cum rheo præparari, quæ vel aquæ communi, vel aquæ ſtillatitiæ liliorum, aut papaveris rhœados, vel ptiſanæ bechicæ admiſcentur. 3°. denique adhibita pauca doſi narcotica, quæ opem præſentaneam præbent, donec reliqua mitigantia vires exerant, ac ſalutarem medelam conferant, ſed de his abunde *præcedenti cap.* dictum fuit, quod conſulat Lector.

De læſis actionibus naturalibus ac imprimis de anorexia & diſorexia, & mitigatoriis eorumdem indicationibus.

III. Anorexia, latine inappetentia, eſt abolitio ſenſus naturalis, quo ad appetenda alimenta ducimur. Dyſorexia vero notabilis & morboſa ejuſdem imminutio, ut in Pathologia dictum eſt. Liquet enim ex phyſiologia naturalem appetitum vigere, gemina, ſimultaneaque cauſa; videlicet debita fluidi ſtomachalis energia, quod nerveam & ſenſibilem ventriculi tunicam afficiat, & ſollicitet, aptaque ejuſdem tunicæ diſpoſitione, quæ impreſſas motiones libere admittat, admiſſaſque ad cerebrum ſive ſenſorium commune prompte tranſmittat: inde ergo conſequens eſt appetitum eumdem morboſe imminui, vel aboleri cauſa quoque gemina, nimirum vel vitio ſucci ſtomachalis, quod officio deſit: vel tunicæ ventriculi nerveæ vitio, quod humoris digeſtivi energiam fruſtretur; Vitio quidem fluidi, alimentorum abolebitur, aut imminuitur appetitus multifariam. 1°. ſi deſit fluidum, vel parcius ſuppediteur. 2°. ſi aquoſum, iners, vapidum, aut craſſum, viſcidumque ſit ex natura. 3°. ſi bilioſa & exſuperante polleat acrimonia, quæ nativam ejuſdem actionem pervertat, & loco appetitus, morboſum in ventriculo æſtum & ardorem excitet. 4°. ſi aciditate peccet, unde naturalis illius energia hebeſcat. 5°. ſi, in ventriculo, mucidis cibariorum male digeſtorum reliquiis corrumpatur & inquinetur, aut craſſiore cacochylia; quæ ſingula humoris ſtomachalis vitia & frequenti innoteſcunt uſu, & communiſſimæ cauſæ ſunt inappetentiæ.

Vi-

Vitio vero tunicæ interioris ventriculi, induci poteſt triplici ratione inappetentia. 1o. ſi tunica illa, ſuppreſſo quomodocumque ſpirituum influxu, paralytica fiat: quod tamen rariſſimum eſt. 2o. ſi callo indureſcat, atque adeo ſolitas motiones non admittat: quod etiam raro obſervatur. 3o. tandem, ſi emollita nimium ſero, ultra modum relaxetur, neque amplius ſolitis impreſſionibus pateat, ut in ſenibus exhauſtis, potatoribus, iiſque præſertim qui immoderato potui infuſionis *thee* diutius jejuni aſſuefiunt, ſæpius animadvertitur.

Ex dictis pronum eſt colligere, in praxi, miſſis quæ rarius occurrunt, quinque potiſſimum indicationibus ſatisfaciendum eſſe, ad curandam, vel ſaltem mitigandam inappetentiam pertinaciorem; 1o. ut everrantur cruditates quæcumque in ventriculo hærentes, ne fermentum vitient. 2o. ut copioſius, efficaciuſque in ventriculum confluat fermentum, quod vi & efficacia appetentiam exſcuſcitet. 3o. ut bilioſa fermenti acrimonia, quæ ejuſdem actionem pervertit, caſtretur. 4o. ut acida fermenti qualitas, qua ejuſdem efficacia hebeſcit, corrigatur. 5o. demum ut emendetur nimia tunicæ interioris ventriculi laxitas quæ nativo ventriculi ſenſui officit.

Ac *primo* quidem cruditates, ſpiſſiorque cacochylia, quæ in ventriculi fundo, ſive plicis hærent, nativamque ſtomachalis fluidi energiam debilitant, poſſunt inde everri & evacuari multiplici ratione: 1o. catharticis ſeu purgantibus quæ per inferiora ſaburram illam ejiciant; ea vero poſſunt varia ſeligi natura, efficacia, operandi modo, &c. pro diverſa materiæ evacuandæ ſpiſſitudine, viſcoſitate, quantitate, &c. quà de re conſuli debent quæ ſupra diximus de purgantibus. 2o. emeticis ſeu vomitoriis, quæ per ſuperiora ventriculum a contentis materiis efficaciter liberent via breviſſima, ideoque tutiſſima, quia minus anfractuoſa, modo tamen conſentiant cetera omnia: vomitoria autem hodierno uſu maxime comprobata ſunt, Tartarum emeticum ſive ſtibiatum ſolubile, a gran. VI. ad gran. IX. Vinum emeticum ab ℥. j. ad ℥. ij. Syrupus D. CHARRAS fere ad eamdem doſim: Radix Braſilienſis, ſeu Ypecacuanha in pulverem redacta a gr. XXV. ad XXXX. quæ quidem radix ad everrendas cruditates viſcidas, quæ ventriculo adhærent applicitæ, efficaciſſima eſt, ceteriſque vomitoriis palmam merito præripit; quoniam, vi qua pollet incidente, cruditates potentiſſime diſſolvit, & attenuat; quamquam, ad ceteros uſus, reliquis emeticis poſtponenda videatur, quandoquidem experientia compertum eſt, hujus radicis pulverem, ventriculum, cui pertinacius agglutinatur, diutius & gravius plerumque moleſtare. 3o. aquis thermalibus v. gr. noſtris Bellilucanis aut Bonierenſibus, per triduum aut quatriduum, ut moris eſt, hauſtis mane jejuno ventriculo a ℔. VI. ad VIII. qualibet die; ſolent autem triduano, aut quatriduano aquarum thermalium uſu, quævis cruditatum reliquiæ, quæ hærere potuiſſent, abſolutiſſime elui, & foras ſeceſſu eliminari: potiſſimum vero ſi earum hauſtus, prægreſſis purgantibus aut emeticis ſucceſſerit.

Secundo. Fermentum ſtomachale poteſt copioſius in ventriculum confluere cauſa gemina 1o. quidem ſi magis abundaverit ſanguis; nam manifeſtum eſt, ab aucta ſanguinis copia, copiam quoque humorum quorumlibet adaugeri, ſed ad analepticam diætam pertinet ea tractatio, neque adeo hujus loci eſt. 2o. ſi ex ſanguine, qualis quantuſve corpori ineſt, ubrior fluidi ſtomachalis copia in ventriculum per ſecre-

tio-

tionem derivetur, quod remediorum ope perfici posse experientia compertum est; Constat enim ex anatomicis stomachale fluidum, a sanguine per arterias gastricas in tunicas ventriculi advecto, perpetim secerni parvis, minutisque acinis glandulosis, per ventriculi cavum, qua late patet, diffusis, qui intertextis fibris musculosis tunicæ mediæ, fibrisque tendinosis tunicæ intimæ ventriculi, hinc & inde areatim concluduntur; potest ergo promptior & uberior hujusce fluidi secretio promoveri, si musculosi aut tendinei villi utriusque memoratæ tunicæ in lenes, sed iteratas crispationes identidem agantur; inde per vices fluidum jam secretum, quod in colis hæret, blande exprimant, novoque adventanti liberiorem parent viam; hoc enim perficitur moderata sed continua vellicatione, titillatione, punctione, quam convenientia remedia nerveæ ventriculi tunicæ inferunt, quæ ideo ex effectu stomachica, seu famem acuentia dici solent, qualia sunt (*a*) *aromata* fere omnia, quæ spirituosis partibus turgida sunt, ut cinnamomum, & cassia lignea, quæ in substantia a gr. v. ad ℈. ß.; caryophylli, qui in substantia nº. I. aut ij. vel iij. in infuso vero nº. VI. vel VIII: macis, quæ in substantia a gr. v. ad ℈ ß. in infuso vero ad ℈. ij; nux moschata, quæ in substantia ad gr. XV; piper cujus integri grana num. v. aut VIII; zingiber quod in substantia a gr. v. ad ℈ ß. conditum vero ad ℈. j; sinapi, quod in embammate pro lubitu usurpari solet; ex iis autem aromatibus vel separatim vel simul confusis, pulveres, opiatæ aut boli præparari possunt, jejuno ventriculo haurienda, una aut altera ante pastum hora, ut ventriculum languentem excitent. (*b*) *Aromatica* multigena, quæ cum aromatibus virium efficacia proxime conveniunt, ut lignum aloes: quod in substantia a gr. VIII. ad XV; myrrha, quæ in sustantia sub eadem dosi, radices acori veri, sive calami aromatici officinarum, zedoariæ, galangæ utriusque, helenii, sive enulæ campanæ, &c. quæ in substantia a gr. v. ad ℈ ß. in infusione ad ℥. j; folia absinthii minoris, menthæ, salviæ &c. quæ in decocto ad man. j. præscribuntur. (*c*) *Præparata varia* ex supra dictis remediis, ut radices Acori veri, Angelicæ, Zedoariæ, Enulæ campanæ &c. saccharo conditæ ad ℥. ß. Conservæ enulæ campanæ, aut comarum Absinthii sub eadem dosi, syrupi de Absynthio, de Mentha ab ℥. j. ad ℥. ij. elixir proprietatis *Paracelsi*, tinctura Absinthii a gutt. XV. ad XXX. in vehiculo convenienti. (*d*) *Electuaria* multa officinalia ex iisdem simplicium speciebus confecta, ut confectio de hyacinthide, alkermes, theriaca, opiata Salomonis, mithridatum, quæ ad ℥ j. adhiberi possunt, vino rubro soluta. (*e*) *Balsama*, sive *Balsamica* omnia, ut Therebinthina ad ℈. ij. vel ℥. j. Balsama de Copahu, de Peru, de Tolu, de Mecha &c. ad ℈. j. vel ℥. ß. vel ℈. ij. therebintina in aqua coqui potest, sicque in bolos indurari; possunt quoque Balsama cochleatim sumi cum syrupo quolibet: sed commodius multo deglutiri possunt, si admixto saccharo pulverato in duriorem pastam efformentur, quæ in bolos dividatur. Ceterum probe advertendum est ne balsama supra dicta, addito oleo Therebintinaceo, adulterata fuerint, quod ex nimia eorumdem liquiditate conjicere pronum est: fraus ea, heu nimium quidem frequens est hodie, quæ constitutis pœnis esset coercenda, cum sic adulterata Balsama non solum minus efficacia, sed etiam nociva evadant, propter nimiam & empyreumaticam olei therebintinacei acrimo-

moniam. (*f*) Denique ſalſa vel ſubſalſa, quæ e genere alkalinorum ſalium, vel ſalſo-acrium ſunt, ut ſalia fixa abſinthii, tamariſci, tartari, centaurii, &c. ſal ammoniacum, ſal gemmeum &c. quæ a ℈. ß. ad ℈. j. præſcribi poſſunt, ceteris remediis addita, ſub opiatarum, bolorum, pulverumque forma &c.

Ceterum propoſita remedia, non modo fermentum copioſius in ventriculum advocant, blanda punctione, ſeu vellicatione, ſed etiam efficacius ſimul reddunt, quatenus ſpirituoſis particulis quibus ſcatent, ipſum imprægnant, nimiamque ipſius craſſitudinem, vi qua pollent incidente, corrigunt: unde manifeſtum eſt una eademque opera quantitatem, tenuitatem, energiamque ſtomachalis fluidi ſimul intendi.

Tertio. Fermentum ventriculi, quod bilioſarum partium additamento a naturali conſtitutione degener eſt, adeoque gravioribus & inaſſuetis morſiunculis quas nerveæ infert tunicæ, jam non famis ſenſum, ſed morboſum æſtum in ventriculo excitat, corrigi poteſt remediis tum quæ bilioſas partes aciditate caſtrent, tum quæ ſero eaſdem diluant; iſtius modi ſunt (*a*) *julepi* ex aquis ſtillatitiis borraginis, cichorei, lactucæ, oxytriphylli ſeu alleluia &c. cum ſale prunellæ, cryſtallo minerali, aut nitro purificato a ℈. j. ad ʒ. ß. aut cum ſpiritu ſulphuris aut vitrioli ad gratam aciditatem, addito granatorum, vel limoniorum, vel de agreſta ſyrupo ad ℥. j. vel ʒ. j. ß. *Emulſiones*, ut moris eſt, ex amygdalis dulcibus excorticatis, ſeminibus frigidis, & ſemine lactucæ, expreſſæ, ſyrupis iiſdem refrigerantibus edulcoratæ &c. ea autem remediorum genera bis in die propinari ſolent, mane ſcilicet & ſero; imo, ſi ita viſum fuerit, narcotica, addito opio, effici poſſunt. (*b*) *Apozemata*, vel *Juſcula* cum pullo juniore, carniſve vitulinæ fruſtulo confecta, ex radicibus Cichorei, Acetoſæ, Acetoſellæ &c. foliis borraginis, lactucæ, plantaginis, pimpinellæ &c. ſeminibus frigidis, ſemineque lini, aut lactucæ contuſis in quibus diſſolvuntur cryſtallus mineralis, aut ſal prunellæ ad ʒ. ß. quæque per decem aut duodecim dies continuos uſurpantur; conducit quoque ſerum lactis, imo vero ſi commode ferat ſtomachus, lac aſininum mane ad ℔. j. vel ℔. ij. jejuno ventriculo hauſtum in lecto. (*c*) *Aquæ minerales* acidulæ vel vitriolicæ per novem dies epotæ a ℔. VI. ad ℔. X. quaſlibet die; in ſingulis regionibus plurimæ hujuſmodi proſtant aquæ, quarum efficaciam perſpectam habere debet Medicus, qui artem iiſdem in regionibus profiteri ſtudet: ſequentes quidem in hac Occitania inferiore celebratiſſimæ ſunt *Meinenſes*, *Lutevenſes*, *Euſetenſes*, *Cameretenſes*, *Vallenſes*, &c. quarum poſteriores prioribus efficacia multum prævalent; unde prudentis Medici officium eſt, ſingulas morbis quibus conferunt, & temperaturis, quæ eaſdem tolerare videntur, accommodare. (*d*) *Limonatæ* ex ſucco limonum, omphacii, groſſulariæ, &c. expreſſo, ſaccharoque edulcorato præparatæ, & nive frigefactæ, quæ æſtivo tempore venales proſtant, bilioſæ temperaturæ hominibus ſi moderate ſumantur, multum proficere ſolent; imo vero aqua ſimplex, ſi nive refrigeretur, ventriculi æſtui temperando, adeoque & famis ſenſui ſuſcitando, quem illius viſceris calor obtundebat, efficaciſſime conducit. (*e*) *Balnea* vel *ſemicupia* in aqua fluviatili ſubtepida, quæ per aliquot dies adhibita, famem mirum in modum

dum

dum intendunt in junioribus, qui intenſe calent, aut qui bilioſæ ſunt temperaturæ.

Quarto. Si aceſcentibus cruditatibus inquinetur ventriculi fermentum, aut ſi a natura degener in conſtitutionem ſubacidam deſciſcat, excitandæ fami impar futurum erit, cujus ſenſum ab acri tantum, aut ſalſo-acri humore inferri certiſſimum eſt: tunc igitur ea ſunt adhibenda remedia, quæ vitioſam ejus aciditatem obtundere vel emendare valeant: qualia ſunt (*a*) omnia remedia *aromatica*, aut ex *aromaticis* præparata, quæ ſupra recenſuimus, quaſi ſecundæ indicationi adimplendæ conducibilia: ea enim acidæ fermenti naturæ efficaciter mederi poſſunt, ſive ſpirituoſis ſuis partibus, ſeu ſalibus alkalinis quæ pleraque habent in receſſu. (*b*) *Amara* quæcumque quæ ſapore contrario fluidi ſtomachalis acorem corrigunt; horum autem laudatiſſima ſunt centaurii minoris, abſinthii pariter minoris, chamædrios, menthæ, ſalviæ &c. folia ad man. j. in decocto: rhabarbarum, China china ſive Cortex Peruvianus in ſubſtantia ad ʒ. j. vinum abſinthites, kinkinites ad ʒ. iij. vel iv. (*c*) *Abſorbentia* quæ poroſo contextu acidiora ſpicula recondendo, fermenti qualitatem mutare valent, ut limatura ferri in alkool redacta ad gr. iv. crocus martis aperiens aut adſtringens ad ϑ. j. tartarum chalybeatum ſolubile a ϑ. j. ad ʒ. ß. corallia præparata, oculi cancrorum fluviatilium, pulvis cancrorum exſiccatorum, teſtarum Oſtreæ, putaminum ovorum calcinatorum a ϑ. j. ad ʒ. ß. debent autem ea medicamentorum genera vel cum offa in prima menſa per menſem ſumi, vel ſyrupo convenienti admixta in bolos conformari, qui per dies aliquot continuos, jejuno devorentur ſtomacho. (*d*) potus caffe, chocolatæ, jejuno pariter ventriculo, diu continuandus: ſiquidem uterque corrigendis, vel ligandis, vel obtundendis acidis, quæ in ventriculo latent, plurimum confert; Ceterum laudata remedia, utcumque in fermentum ſtomachale primum agant, potiſſimam tamen efficaciam in ſanguinem exerunt, quem comminuunt, dividuntque & cujus motum inteſtinum, & circulatorium accelerant; unde ſalia quæ cruori inſunt magis attrita, alkalinam naturam citius adipiſcuntur, adeoque vel nulla vel pauciſſima ſuggeruntur ventriculo.

Quinto. demum laxa & emollita ventriculi tunica, ideoque admittendis famis impreſſionibus minus apta nativæ firmitati & tenſioni ope remediorum calefacientium, exſiccantium, ſpirituoſorum reſtituitur, qualia ſunt, (*a*) medicamina omnia quæ ſecundæ & quartæ indicationi ſatisfacere ſupra docuimus. (*b*) Ea quæ calefaciente, exſiccanteque vi prædita ſunt, ut aquæ thermales, v. gr. Bellilucanæ, parva doſi, ſed per dies quatuor epotæ, imo interpoſitis aliquot dierum induciis iterandæ; potus quotidianus, jejuno ventriculo, ex herbarum vulnerariarum infuſo, quæ ab Helvetia deferuntur; bochetum ſudorificum pro potu ordinario &c. (*c*) Spirituoſa, ut vina generoſa e vinorum coctorum genere, ut vinum Canarinum, Hiſpanicum; ſed præ ceteris omnibus vinum Alicantinum ad ſemicyathum mane jejuno ventriculo, quod in exhauſtis, ſenibus, convaleſcentibus &c. efficaciſſimum eſt remedium ad concoctricem ventriculi facultatem confortandam.

De

De vitiis excretorum & indicationibus mitigatoriis inde desumendis.

Liquet ex Physiologicis, humores, qui e corpore excerni solent; numero plurimos esse; ex Pathologicis vero humores quoslibet excernendos tripliciter peccare, substantia, qualitate & quantitate; hinc ergo & varia & multa futura sunt excretorum vitia, inter quæ, pro instituta methodo, vitium peculiare humoris, qui in mulieribus e vagina excernitur, sive fluorem album, in exemplum seligere visum est.

De indicationibus mitigatoriis fluoris albi, sive fluxus muliebris.

Fluor albus, seu fluxus muliebris est præternaturale profluvium e muliebribus genitalibus humoris excrementitii, lymphatici, pituitosi, subalbi, colore & qualitate plurimum varii, modo insulsi, aut acris &c. modo inodori aut graveolentis &c. modo tandem pallidi, aut flavi, aut virideſcentis, nunc continuo, perennique fluxu promanans, nunc per intervalla, modo periodice, modo vero sine periodo recurrens.

Constat ex anatomia in uteri muliebris cavo, subtus tunicam intimam, qua convestitur, latere cola numerosissima, confertim dispersa, vasculo-vesiculosa, in uterum proprio osculo singulatim hiantia, humori lymphatico lacteo secernendo & continendo a natura destinata; quamdiu integra valet sanitas in adultis fœminis, tamdiu id quod fluxilius inest humori huic lymphatico, lacteo, uterino, qui memoratis colis guttatim illabitur, vasis lymphaticis exceptum, alio convehitur ad communes usus; crassior vero humoris ejusdem portio, in ipsis colis hærens, ibidem retinetur, donec post menstruam periodum una cum stillante catameniorum sanguine, cujus fluxum promovet, foras e vagina prorumpat, partemque constituat profluvii menstrui, quod adultis fœminis prospera valetudine fruentibus solemne est. At vero accidit quandoque ut humor ille lymphatico-lacteus, colis suis male coercitus, vel jugi fluxu, vel identidem e genitalibus profluat, modo sincerus & impermixtus, adeoque albicans; modo vero pauco sanguine alteratus, adeoque colore roseus; modo nullis pravis qualitatibus inquinatus, sed qualis ipsis colis inerat, insulsus & inodorus; modo vero colore, odore, acredine præternaturali infectus, quæ in uteri cavo calore partis & mora quam ibidem facit, contrahit: verum quocumque fluxerit, morbum infert, curatu haud facilem, quem fluorem album dici modo docuimus, cujusque causas inquirimus, ut inde mitigatorias morbi indicationes eruamus.

Demonstrat autem allata modo expositio fluxus naturalis hujusce humoris, eumdem in uterum præternaturaliter extillare non posse humorem, inde foras excernendum, nisi quatuor causis. 1°. Quia in sua cola copiosior confluit, ut vel lymphaticis vasis pro more avehi, vel ibidem per mensem integrum contineri possit; unde per ampliata colorum tumentium oscula in uterum jugiter emittitur. 2°. Quia pro naturæ instituto absorberi non potest a vasis lymphaticis obstructis, aut quomodocumque compressis, a tumoribus, schirro, uteri infarctu

&c;

&c; unde in colis ſuis uberius congeſtus, per dilatata oſcula, viam ſibi in uterum facit. 3°. Quia æquo ſeroſior, fluxiliorque eſt, unde per conniventia oſcula effluxum clandeſtinum ſibi facile parat. 4°. demum quia patentiora colorum oſcula male occluduntur, atque adeo contentum humorem male cohibent, facilioremque permittunt viam.

Hinc ergo colligere pronum eſt, ad mitigandum fluorem album, pro quadruplici cauſarum genere quibus induci poteſt, diverſis totidem indicationibus eſſe ſatisfaciendum. 1°. quidem ut ſua in cola parcior uterinus confluat humor, qui eorumdem oſculis vim inferre non poſſit. 2°. ut per obſtructa, aut compreſſa vaſa lymphatica, libera paretur via, quæ reſorbendæ tenuiori humoris uterini parti ſufficiat, unde quæ ſupererit in colis portio, facilius, pertinaciuſque concluſa retineri poſſit. 3°. ut paulo major ſeroſiori humori concilietur conſiſtentia, ne per conniventia colorum oſcula furtim tam facile elabi poſſit. 4°. denique ut debita colorum oſculis reſtituatur firmitas, ne amplius hiulca jugem humoris, quem continent, effluxum permittant.

Primo quidem ideo copioſior uterinus ſua in cola fluit humor, quia a nimio ſanguine nimius ſuppeditatur; nimius vero eſt ſanguis, vel quia lautior eſt nec ſatis temperans vivendi ratio, unde additamenta accipit immodica cruor; vel quia deſes, otioſa, ſedentaria nimium eſt vita, unde cruor diſpendia non patitur ſufficientia per excretiones conſuetas: utrumque, in matronis divitibus quæ, multis & polytrophis eduliis ſaginatæ, mollem, pigramque quoad omnia munia vitam degunt, non raro concurrere ſolet, quæque ea propter muliebri fluxu frequentius, quam plebeiæ aut ruſticanæ mulieres detinentur, quæ paucioribus minuſque nutrientibus cibariis veſcuntur, & continus agitantur laboribus; ut ergo uterinus humor, cohibito intra limites ſtatos ſanguinis proventu uberiore, debitæque quantitati reddatur, adhibenda videntur ſequentia. 1°. Temperans vivendi ratio, qua nutriatur, non vero opprimatur corpus, imperanda eſt; recte enim docuit HIPPOCRATES *Lib. 6°. Epidem. ſect. 4. aphor. 2°. ſanitatis ſtudium eſſe non ſatiari cibis*; verum non modo paucis, ſed etiam olygotrophis alimentis eſſe utendum, modo tamen eupepta ſint & euchyma; in uſum igitur eligendæ carnes juniorum animalium, ut pullorum, agni, vituli, vervecis, &c. a carne vero bubula, ſicut & a caponibus, perdicibus, gallinis indicis anniculis, vel annoſioribus abſtinendum; ſimpliciſſima coctione præparanda ſunt cibaria, elixatione ſcilicet vel aſſatione; juſcula jurulenta, jura ex aſſatis carnibus expreſſa, proinde vitanda; ut & condimenta, quibus tam varii multique ſapores in unum coguntur; irritamenta gulæ per artem quæſita, non ad tollendam ſed ad irritandam famem; cupedia, quibus excitatur aviditas &c. 2°. ſuadendus laboris, exercitationiſque v. gr. ambulationis, equitationis, geſtationis &c. uſus, ut aucta perſpiratione & excretione, luxurians humorum imminuatur copia: inde eſt quod HIPPOCRATES *loco laudato* dicat, *ſtudium ſanitatis eſſe, non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores*; damnanda igitur illa nimis frequens matronarum deſidia, qua e lecto non ſurgunt, niſi ad cœnam aut ad ludum, a quibus recedere non ſolent, niſi ut ſeſe lecto reddant. 3°. frequenter præſcribenda eſt venæ ſectio,

ctio, e qua conſtat ratione & experientia efficaciſſimum & maxime præſentaneum eſſe plethoræ auxilium ; quoad legitimum venæ ſectionis uſum ea, quæ ſupra abunde ea de re diximus, conſuli poſſunt. 4°. Utendum frequenti purgatione aut vomitione, ut eo pacto id quod in copia humorum nimium eſt detrahatur ; recte enim docuit GALENUS, ſanguinis miſſionem & purgationem deficientis exercitationis vicarias partes agere ; *niſi quis*, inquit ille, *Lib. de ſuccorum bonitate & vitio, cap. 2. ſatis exerceatur, nulla ciborum parcimonia ſe a morbis immunem tueri potuerit, niſi per intervalla inopiam exercitii purgatione, vel ſanguinis miſſione compenſet*. Ceterum de purgationis, vomitioniſque uſu, atque earum promovendarum modo, poſſunt adiri, quæ ſupra ſunt dicta. 5°. promovenda eſt diaphoreſis aut diureſis, ut uberiore per eas vias excretione minuatur humorum luxuries ; huic fini omnia conferunt remedia, quæ diaphoretica aut diuretica pollent facultate, quæque infra recenſebuntur, ubi de quarta indicatione mitigatoria.

Secundo libera humori uterino ſua in cola confluenti per vaſa lymphatica ipſi deportando a natura deſtinata, parari nequit via, niſi, quæ obſtructa ſunt, reſerentur, aut a compreſſione liberentur, quæ cauſis lateraliter comprimentibus ſubjiciuntur, tuberculis ſcilicet, gangliis, ſchirriſve in utero obortis ; liquet ergo huic indicationi nulla alia ratione ſatisfieri poſſe, quam uſu remediorum eorumdem quæ ſupra ad obſtructiones quaſcumque reſerandas propoſuimus ; nimirum 1°. emollientium, humectantium, relaxantium &c. uſu, quæ impactam obſtructis canalibus materiam ſenſim *diluant*, magiſque obſequioſam reddant, ipſoſque eorumdem canalium parietes relaxent, ut hærentis materiæ transfluxum facilius permittant. 2°. attenuantium, incidentium, aperientium uſu, qualia ſupra grumoſæ ſanguinis conſtitutioni conferre diximus, quæ hærentem obſtructis canalibus materiam liquefaciant. Ceterum fuſiorem horumce remediorum explicationem omittendam cenſemus, ne actum agere videamur, cum ea quæ de iiſdem laudatis in locis dicta ſunt, abunde ſufficiant.

Tertio ideo ſeroſior eſt dilutiorque, atque inde tacito fluxu jugiter in uterum manat uterinus humor, quia a ſanguine ſcaturit, qui eodem tenuitatis, diſſolutioniſque vitio peccat ; vulgari enim axiomate compertum eſt, *principiata principiorum naturam redolere* ; quæcumque igitur immoderatiori ſanguinis diſſolutioni corrigendæ utiliter conferunt, conferent hæc eadem ut ſeroſiori humori uterino debitam reddant conſiſtentiam, & in hunc uſum adhibenda efficaciter ſunt, quæ brevitatis cauſa, repeti debent ex capite de indicationibus diſſolutæ diatheſeos.

Quarto, ut major, in adipoſis & pituitoſis fœminis, laxatis uterinorum colorum oſculis, concilietur firmitas, qua contentum humorem ab effluxu jugi arcere valeant, debet luxurians ſerum, quo emolliuntur, diſcuti, diſſipari, alio deduci balneis thermalibus, medicaminibus ſudorificis, diureticis &c. vel languidæ colorum fibræ in ſtrictiorem denſari compagem vulnerariis, balſamicis, adſtringentibus &c. Huic ergo poſtremæ indicationi adimplendæ utiliter conducunt 1°. balnea & ſtuphæ, aquarum thermalium, bituminoſarum, ſalinarum, ſulphurearum, aut earumdem embrochæ, quæ ſupra lumbos adhibitæ, calore quo fervent, tenuiorumque partium mineralium,

quibus

quibus turgent, energia, molliorem uteri contextum firmant, & exsiccant; sero, quo relaxatur, difflato, vel per sudores evacuato; laudantur quoque aquæ eædem, si tepidæ in uterum injiciantur. 2o. sudorifica quæcumque, ut vipera, pelle nudata & exenterata no. 1., pulvis viperarum, diaphoreticum minerale ad ʒ. ß. lignum sanctum, sassafras, salsæparillæ, chinæ radix, antimonium crudum, cortex Phyllireæ &c. ad ʒ. ij. Ex quibus decoctis, juscula, ptisanæ, bocheta ex arte confici possunt. 3o. diuretica omnia, inter quæ commendantur, sal admirabile Glauberianum, pulvis millepedum sive asellorum a ℈. j. ad ʒ. ß. radices petroselini, eryngii, anonidis, sed potissimum ari & apii ad ʒ. j. aut ʒ. ij. in decocto, quibus duabus postremis, in curanda uxore *Boethi* fluore muliebri laborante felicissime usus fuit GALENUS, ut ipse refert *in Libro de præcognit. ad Posth. cap.* 8. 4o. vulneraria quæ, non modo facultate diuretica, qua sunt prædita, serum discutiunt, sed adstrictoria simul vi, qua pollent in recessu, nimiæ mollitiei medentur: in hunc finem laudantur potissimum bugula, alchimilla, pervinca vulgaris, sanicula, verbena, argentina, salvia, calamentha, pulegium, ceteræque omnes herbæ vulnerariæ, quæ solent ex Helvetia, vel ex Pyrenæis montibus deferri, quarum infusione potus theiformes parandi sunt, usuque quotidiano mane jejuno ventriculo usurpandi. 5o. balsamica, quæ simili cum vulnerariis energia gaudent, parique virtute proinde agunt. Inter hæc celebratissima sunt balsamum Peruvianum tum siccum, tum liquidum, Tolutanum, Mechanum, Judaicum, sed præsertim balsamum de Copahu, quod modo sit sincerum, in fluxibus quibuscumque sistendis mire efficax esse experientia multiplici compertum est. 6o. denique adstringentia, quæ ubi cetera ante dicta conceptam spem frustrata sunt, mira præstant, modo tamen ita prudenter & tempestive adhibeantur, ut aliqua exiturientibus humoribus diu permittatur via, nec in totum cohibeatur effluxus, nisi corpore probe prius expurgato. Ceterum multiplex est adstringentium genus, sed ceteris in præsenti casu præferri solent ista, nempe radices bistortæ, tormentillæ, pimpinellæ, pentaphylli, ad ʒ. j. folia bursæ pastoris, symphiti, plantaginis, urticæ inertis, sive lamii, millefolii, herniariæ, quercus &c. ad man. j.; flores, ut balaustia, rosæ rubræ, ad pugillos aliquot; fructus, ut capulæ glandium, glandesque ipsæ in furno assatæ ad ʒ. j. Ex quibus decoctis, ut artis est, juscula, ptisanæ, potus theiformes, injectiones in uterum parantur. Laudantur quoque quasi præsentanea, quæ sequuntur, ut sanguis draconis, mastiche, succus hypocistidis, terra japonica sive cathecu, vulgo *cachou*, succinum, corallium præparatum, crystallus pariter præparata, santalum rubrum, terra sigillata, os sepiæ &c. a ℈. j. ad ʒ. ß. quæ bolorum, opiatarum, aut tabellarum forma præscribuntur, vel ad suffitum usurpantur.

Ceterum inter omnia celebre est remedium ex anaticis partibus, aluminis rupei, sanguinis draconis est sacchari candidi quod ad ʒ. j. aut ʒ. j. ß. boli instar quotidie devoratur per aliquot dies.

De qualitatibus mutatis & indicationibus mitigatoriis inde deducendis.

Conſtat ex pathologia qualitates corporis, quæ a cauſis morbificis pervertuntur, multas variaſque eſſe, cum in quinque genera diverſa poſſint diſtribui, prout viſu, guſtu, olfactu, tactu, auditu percipiuntur; verum e numeroſis morborum ſymptomatibus, quæ ad mutatas corporis qualitates pertinent, unum alterumve in exemplum ſeligemus, frigus nempe atque pallorem quæ ſubito vultum, artuſque occupat in ſyncope: ſit igitur.

De indicationibus mitigatoriis frigoris & palloris ſyncoptici.

Syncope, ſive præceps virium & functionum omnium lapſus, varia apud Practicos obtinere ſolet nomina, *Eclypſeos* nempe, *Lypothimiæ*, *Syncopes*, *Aſphyxiæ*; ſed hæc non tam diverſum affectum, quam diverſos ejuſdem affectus gradus indicant; pallor enim & frigus, quæ in omni ſyncope vultum, artuſque occupant, ceteraque ſymptomata, quæ ſyncope eſſentialia ſunt, pendent ſingula a langueſcente vi, qua per univerſas corporis partes circulatur ſanguis; languet vero circulatio in toto corpore, vitio tantum ipſius cordis, in quo primam morbi labem latere, apud omnes in confeſſo eſt. Docet autem Phyſiologia 1o. alterna dilatationis & contractionis reciprocatione moveri indeſinenter cor, atque cruorem, quem dilatatum per venas accipit, contractum in arterias viciſſim propellere; unde jugis circulationis motus perennatur, quo functionum omnium viget exercitium. 2o. cordis ſyſtolem ejuſdem diaſtoli proportione reſpondere, adeoque ſi carneæ cordis fibræ, conſtanter conſtrictæ, minimam tantum ventriculorum dilatationem permittant, minimam quoque ex neceſſaria conſecutione futuram eſſe contractionem. 3o. ſanguinem eumdem, qui cordis thalamos ingreſſu dilatat, diſtractione, quam infert dilatando, carneorum cordis parietum contractionem ſympathice ſollicitare, advocato ſcilicet uberi ſpirituum influxu, adeoque quantitatem quidem & motum illabentis ſanguinis occaſionalem; copiam vero, celeritatemque influentium ſpirituum efficientem cordis contractionis cauſam eſſe. 4o. quamquam vi ſolita in contractionem nitatur cor, huic tamen exercendæ impar eſt, ſi reſiſtentiæ inſuperabiles exiturienti ex ipſius thalami ſanguini opponantur; adeoque cruore illapſo, gravatum & oppreſſum naturali officio tunc, ſaltem apparenter, deeſſe.

Hinc ſequitur 1o. Cordis motum in ſyncope ideo lædi, quod fatiſcat ipſius contractio, neque proinde poſſit cruor in ventriculis hærens, in appenſas arterias ſolita vi propelli: unde circuitum, pulſumque ſanguinis in toto corpore languere conſequens eſt. 2o. Cordis contractionem fatiſcere in ſyncope triplici de cauſa diverſa; (*a*) quia a naturali dilatatione violenter arcetur cor; neque adeo naturalem, validamque ſyſtolem producere poteſt: (*b*) quia vi debiliori contrahitur cor; adeoque objectas cruoris reſiſtentias ſuperare non poteſt, quamvis naturalem modum non excedant: (*c*) quia objectæ exiturienti ſanguini reſiſtentiæ tantæ ſunt, ut a corde ſuperari non poſſint; licet momento naturali in contractionem nitatur. Tres itaque diver-

ſas

ſas cauſas ſyncopes admittimus, nempe præpeditam cordis dilatationem, adeoque præpeditam ejuſdem contractionem; imminutum contractionis momentum, & auctas reſiſtentias, quæ ſanguini e corde exiturienti objiciuntur.

Primo quidem præpeditur cordis dilatatio, ſi fibræ parietum carneæ ſpaſmodice contractæ naturali expanſioni reluctentur. Accidit autem fibras illas ſpaſmodice contrahi, uberi vehementique ſpirituum influxu in cor, qualem proritant animi pathemata repentina & vehementia, ut triſtitia, gaudium, ira &c., vel qualem ſtimulat dolor acer & mordax in nervoſis partibus, in ventriculi ore, in utero &c. Prima hæc ſyncopes ſpecies ſympathica vulgo dicitur, fitque caſu repentino, integris ægrorum viribus; ipſam ſolvunt cardiaca, quæ cruoris motum augent, eo fine ut, fortius arietando, cordis ventriculos conſtrictos facilius dilatet; auxilia varia, quibus ſpiritus a corde divertuntur, & aliorſum avocantur; externa calefactio, quæ cruoris circulationi favet, calorem nativum fovendo; aeris frigidi inſpiratio, quæ ſanguinis per pulmones circulantis celeritatem auget, &c. diſcuſſo ſemel inſultu, dein adhibenda ſunt narcotica, quæ, ſpirituum fluxum cohibendo, vel imminuendo, morbi recurſum præcaveant.

Secundo vero, hebeſcit naturale cordis contracti momentum; vel quia deeſt ſanguis, qui per venas influens, mole & impetu ſpirituum fluxum ad cor ſollicitet; vel quia in cerebro deficiunt ſpiritus, qui etiam ſollicitati ea, qua par eſt, copia non influant; utrumque in exhauſtis morbo, hypercatharſi, ſudatione, hæmorrhagia, vigiliis, jejunio, venere, febre, labore &c. familiare eſt; ſyncopem illam præcedit & ſequitur maximus virium languor; huic præſertim mederi ſolent, quæcumque ſpirituum, ſanguiniſque motum accelerant, aut quantitatem adaugent, ut cardiaca, auxilia ſpiritus agitantia, externa calefactio, aeris frigidi inſpiratio &c., ſed ſoluto ſemel paroxyſmo, conducunt analeptica, quæ ſanguinem, ſpirituſque inſtaurando, morbi eauſam tollant.

Tertio demum, inſuperabilis ſanguini e cordis thalamis exiturienti opponitur obex, ſi majores arteriarum trunci polypo intus repleti ſint, vel tumore juxta adnato compreſſi: ſicut non ſemel obſervatum legimus in eorum cadaveribus, qui animo, ſine cauſa manifeſta, ſæpe linquebantur; ſed frequentius eſt poſtremam iſtam ſyncopes ſpeciem a cruore in pulmonibus ſubito hærente oriri, ſive quod in iis repente craſſeſcat inſpirati aeris vitio, ut iis accidit qui in puteos diu occluſos deſcendunt, unde ſemianimes retrahuntur, vel e contra quod idem impenſius rareſcat, nimioque aeris inſpirati calore æſtuet, qua de cauſa plurimos in magna hominum frequentia deliquio corripi notum eſt; cordis palpitatio eam ſyncopes ſpeciem ſemper antecedit, imo etiam ſubſequitur non raro, ut ex tradita ætiologia manifeſtum fit; Utilia ſunt in tali caſu quæcumque ſpirituum, ſanguiniſque motum intendendo, cordis contracti momentum ita adaugere, objectaſque reſiſtentias ita minuere poſſunt, ut tandem vinci, ſuperarique valeant obices, qualia ſunt cardiaca auxilia ſpiritus commoventia, externa artuum calefactio, aeris frigidi inſpiratio &c. Verum præſtat omnibus, ægro, ubi plane ad ſe redierit, ſanguinem minuere, ut minori ejuſdem copia deinceps non obruatur cor, va-

rioſque obices, qui cruoris fluxum retardant, omni opera tollere.

Liquet ergo ſingulas ſyncopes ſpecies, quamquam a diverſis cauſis ſæpe dependeant, adeoque curativa remedia expetant diverſa, uti dictum eſt, iiſdem tamen mitigatoriis auxiliis omnes ex æquo indigere, qualia jam propoſuimus; ſed quorum naturam & facultates ſigillatim explicare convenit.

1°. Cardiaca numero plurima ſunt, e quibus quæ præſto occurrunt, adhiberi poſſunt v. gr. vinum generoſum, aut ſpiritus vini ad cyathum dimidium, aqua naphæ, cinnamomi, reginæ Hungariæ, meliſſæ, theriacalis &c. ad cochlearia aliquot; ſal volatile viperarum, cornu cervi, cranii humani, ſalis ammoniaci, urinæ &c. a gr. x. ad xv.; lilium antimoniale Paracelſi ad cochleare dimidium; pulvis viperinus ad ℈. j.; lapis bezoardicus verus ad gr. x.; bezoardicum minerale, vel joviale ad gr. xij.; theriaca vetus, confectio hyacinthina, confectio alkermes ad ℈. ij. vel ℥. j. e quibus varie temperatis & in aquis appropriatis cardui benedicti, v. gr. ſcabioſæ &c. diſſolutis, julepi & potiones multiplices parari poſſunt.

2°. Multigena ſunt quoque auxilia externa, quæ motu, irritatione, diſtractione, dolore ſpirituum fluxum accelerant in omnes partes, adeoque in ipſum cor, unde contractionis ejuſdem momentum intendi manifeſtum eſt: hæc ergo ſumme proficua in iis ſyncopes ſpeciebus, in quibus a ſyſtole feriatur cor; vel utcumque nitatur in ſyſtolem, nititur tamen vi minori, quam par ſit, ad vincendas objectas reſiſtentias; ſed quod forſan non ita obvium videretur, conducunt etiam in prima ſyncopes ſpecie, quæ a convulſiva *fibrarum* cordis contractione, adeoque a juſto uberiore ſpirituum fluxu dependet: ſiquidem refluxus ſenſiferi in cerebrum vivide repercuſſi cum in univerſas corporis partes influxus ſympathicos determinent, ſpirituum rivum, qui ex alia cauſa in cor conſtantius defluit, varie interſecant in cerebro, adeoque ab inſtituta via detorquent aliorſum, vel ejuſdem impetum notabiliter imminuunt, unde ceſſante fibrarum contractione convulſiva, ſua redditur cordi reciprocatio. Inter auxilia iſtius modi externa laudantur vociferatio maxima ad aures ægrotantis, alaparum inflictus, aquæ frigidæ in faciem injectio, pilorum avulſio, præſertim in pudendis, digitorum contorſio, cucurbitarum applicatio, frictiones fortes, potiſſimum in ſyncope hyſterica; utiliter quoque in nares inſufflatur pulvis nicotianæ, aquave reginæ Hungariæ injicitur, vel iiſdem admoventur ſalia volatilia urinæ, cornu cervi, ſalis ammoniaci &c. ſal volatile oleoſum, aromaticum, ſive ſal Anglicanum, olea fœtida urinæ, ſalis ammoniaci, cranii humani, &c. vel demum iiſdem ſupponitur fumus e charta papyracea vel ex alis perdicis combuſtis exhalans.

3°. Externa membrorum algidorum calefactio in omni ſyncope confert (modo ut a nimia cruoris rarefactione non ſuſtentetur) quoniam circuitui ſanguinis per extrema vaſorum capillamenta favet, inde eſt quod cum levamine manibus, cruribus, pedibus, ori ventriculi identidem calefacta admoveantur mantilia, quod lecti locus in quo decumbit æger, retractis pedibus, immiſſo foculo ſæpe calefiat; quod calefactus ſilex linteis obvolutus pedibus ſupponatur &c. Cavendum tamen, ne corporis ſuperiora, veluti facies, collum, pectus præpoſtero

ſtere concalefiant, quia inde novus ægrotanti additur calor, qui, dum artus algent, plerumque in præcordiis exæſtuat.

4°. Utiliſſima eſt aeris frigidi inſpiratio, quandoquidem aer frigidior, majori quo pollet elaterio, pulmonares dilatat veſiculas, expanditque, unde ſanguinis in pulmonum vaſis hærentis facilior fit commeatus, novuſque proinde langueſcenti cordis contractioni additur ſtimulus; ſic conſtat experientia in ſtrangulatis, aut ſubmerſis animalibus, ſuppreſſum cordis motum valida in pulmones aeris inſufflatione, miraculi inſtar, renovari; Itaque eo fine dimovendi adſtantes, qui ægrotanti propiores ſunt, ut liberior ſit frigidi aeris acceſſio, diducenda lecti ſiparia, imo vero quandoque feneſtræ adaperiendæ, ſi permiſerit tempeſtatis ratio, vel ſaltem, ut ſubfrigidum imitetur ventum, aer agitandus flabellis.

5°. Tandem non omittenda epithematha, epicarpia, ſive remedia, quæ ex theriaca, confectionibuſve alkermes, vel hyacinthina in vino, aut aqua naphæ diſſolutis parata, & linteo, panno, cruſtæve panis illita, cordis regioni, ori ventriculi, temporibus, vel carporum arteriis applicari ſolent: ſimili ratione pipiones per dorſum ſectos cordi, aut pedum plantis apponere mos eſt, vel teſtes in viris, aut muliebria in fœminis vino generoſo, cui diſſoluta fuerit theriaca vetus, calide foveri &c. hæc enim, ſi non proſint, numquam ſaltem nocere poſſunt, adeoque adſtantibus mulierculis facile permittenda, quæ dum in his remediis parandis vel admovendis detinentur, occupantur, parcunt medico, ut in re præcipiti & periculoſæ aleæ plena ad utiliora commodius attendere poſſit.

Ceterum quod ad curativa ſyncopes remedia attinet, quæ novos inſultus præcavere valeant, horum tractatio non eſt hujus loci, ubi mitigatoria tantum auxilia præſentis affectus inquirimus: ſufficiat obiter indicaſſe præcipua iſtius remedia eſſe narcotica, diætam analepticam, ſanguinis miſſionem, aut refrigerantia ſub-acida, ſive cardiaca frigida, quæ ſingula ſingulis, propriiſque ſyncopes ſpeciebus conducunt, uti modo dictum fuit; ſi vero lubuerit, ratio, qua ea adhiberi debeant, ex aliis hujuſce tractatus locis repeti poterit.

De indicationibus vitalibus ſive conſervatoriis quæ ab ægrorum viribus deducuntur.

Indicationes vitales, ſeu conſervatoriæ ad duo in univerſum collimare debent: 1o. nempe, ut conſerventur vires præſentes, 2o. ut proſtratæ reſtaurentur vires: duobus itaque diſtinctis paragraphis, uno quidem quomodo vires præſentes conſervandæ, altero vero quomodo fractæ ſint refocillandæ, paucis ſumus dicturi.

De ratione conſervandarum virium præſentium.

Conſtat ex Phyſiologia, ceteris quoad ſolidorum ſtructuram, humorumque craſim paribus, vires in diverſis individuis, vel eodem diverſis temporibus, triplicatam rationem invicem obtinere quantitatis naturalium humorum in corpore circulantium: hinc igitur conſequens eſt ad vires conſervandas quales ſunt, conſervandam eſſe præſentem humorum naturalium quantitatem: prudens ergo ſolerſque Medicus ad

duo caute attendere debet, 1°. ne humores naturales præpostero; inutilique remediorum usu, seu potius abusu, temere exhauriantur; 2°. ut diæta conveniente fere quidquid humorum remediis aut naturalibus evacuationibus absumitur, brevi restauretur. Itaque 1o. qua prudentia in ægrotantibus administrari debeant remedia, 2o. quæ vero diæta iisdem imperanda sit ad virium præsentium conservationem exponemus.

Qua prudentia ægrotis ad vires conservandas administranda sint remedia.

I. Medicorum Clinicorum officium est ægrotantibus pro vario morborum genere, quo affliguntur, venam tundere, emetica, cathartica, diaphoretica, diuretica, sialagoga &c. præscribere, ut morbi vehementia frangatur, morbifica expellatur causa, morbosaque emendetur labes; sed constat horumce remediorum usu, iterata & multiplici evacuatione exhauriri humorum massam; adeoque, juxta doctrinam modo traditam, notabiliter imminui ægrotantium vires. Stant ergo in ancipiti consilio Medici, qui ægrotantium saluti providere studeant, utrum, post habitis omnino viribus, absque cunctatione properanda sint remedia; an vero omittenda remediorum non pauca, ut conserventur vires; quo in genere utrimque peccare novimus. Errant enim isti, dum meticulosi nimium, ne vires quas morbus ipse pessumdaturus est debilitasse videantur, remediis efficacibus uti non audent, quæ morbi natura expetit; errant & illi, neque sane minori ægrorum infortunio, qui sine ullo virium labascentium respectu ægrum & multis validisque remediis temere atterunt. Inter hæc extrema tutissimam sequuntur viam, qui mediam tenent, quique adeo morbo urgenti, remediis convenientibus, qualiacumque sint, mederi conantur, sed minimo virium dispendio, qua in re sequentibus regulis attente satisfaciendum est.

1°. Prudenter administranda sunt remedia, qualia exigit morbi ratio, permittitque virium robur; ad quæ duo perpetuo attendere debemus: Itaque sicut sanguinis missio, vel purgantium, etiam mochlicorum, exhibitio non est omittenda, si urgeat morbus, ita nec eadem auxilia sine gravi necessitate multiplicanda, aut iteranda sunt; qui secus fecerint, suam prodent inscitiam, aut inconsiderantiam, dum in tractandis ægris nimiam ostentare studeant diligentiam.

2°. Partitis dosibus ac vicibus adhibenda sunt auxilia, modo dilationem permittat morbi natura; sic satius est duas sanguinis missiones mediocres, quam unicam maximam imperare; purgationem levem pluries iterare, quam drasticum semel præscribere; ea sane ratione factum est, communi Medicorum consensu, ut jam ad animi deliquium non amplius mittatur sanguis, aut nunquam adhibeatur helleborismus; verum tamen si morbi vehementia urgeat, aut celeritas, tunc liberalior sanguinis missio, validiorque purgatio prompte imperanda, meritoque culpanda illorum timida cunctatio, qui ægrotanti, in periculo versanti, nullo modo auxiliantur, dum fortiori remedio, quod convenit, non audent opitulari.

3°. Si quid efficacius movendum sit, initio moveri debet, nondum fractis ægri viribus; deinde vero in morbi progressu validioribus remediis

mediis cautius utendum: inde eſt quod in morbi principio, & liberalior ſanguinis miſſio, validiorque purgatio ſæpe iteretur, quæ contra morbo progreſſo & parcius & rarius, viribus jam exſolutis, adhiberi ſolent, niſi ex aliqua forte cauſa recruduerit morbus; quo in caſu, ita jubente neceſſitate, ad validiora denuo recurrendum eſt remedia, quæ recidivum profligant morbum.

Hæ ſunt potiſſimæ cautelæ, ad quas Medicum prudentem attendere decet, ut ſuo rite fungatur munere, opiferique mereatur nomen; ea enim ratione, ſicut neque morbi curationem negliget, ne morbo celeriter curando defuiſſe videatur, ſic quoque vires temere non atteret, ne eas labefactaſſe dicatur; ſed morbi curandi, viriumque conſervandarum caute ſollicitus, utrumque, quali expedit methodo, conficiet.

Quæ diæta ægrotantibus imperanda ſit ad virium conſervationem.

II. Antiquiores Medicinæ principes multa ſcriptis de ægrorum diæta tradidere; ſed quæ a moribus noſtris, & ab hodierno vivendi uſu multum aberrant; quocirca, iis omiſſis, quaſi minus utilibus, præſtare videtur, præſentem diætam paucis proponere, quali Medici Europæi in diverſis morborum generibus, nunc uti conſueverint.

Itaque morbi omnes in duas claſſes ſunt diſtinguendi, ratione durationis; alii enim ſunt chronici, qui lente moventur, tardeque terminantur; alii vero acuti, qui cito, & cum periculo, ſua percurrunt ſtadia; in priore morborum claſſe, plenior competit diæta, quia in morbis chronicis, cum diuturniores ſint, majori opus eſt virium robore, quod abſque liberaliore diæta conſiſtere nequit; in poſteriore vero ſufficit tenuior, quoniam, cum promptius terminentur iſti, majorem inediam facilius tolerare poſſunt.

Primo, plenior diæta, quæ in morbis chronicis deſideratur, duplex diſtingui ſolet; una plena, quæ morbis chronicis qui febre carent, ut Epilepſiæ, Paralyſi, Maniæ, Aſthmati, Schirro hepatis, Nephritidi &c. mediocris altera, quæ morbis chronicis qui febre lenta ſtipantur, ut phthiſi, tabi, febribuſque omnibus maraſmoideis conducit. 1o. diæta plena conceditur in morbis chronicis febre carentibus, tum quia, cum abſit febris, magis viget concoctrix alimentorum facultas, quæ proinde cibariis copioſioribus ſubigendis ſufficit, tum quia ab uberiore chylo in ſanguinem transfuſo nulla tunc excitatur lucta, quæ febrem augeat. In hac diæta inſtituenda duo ſpectari debent, quantitas ſcilicet, & qualitas alimentorum: quantitas quidem ponderatione minime definiri poteſt, cum varii homines varie edaces ſint, adeoque uberiore vel parciore alimonia indigeant; certius temperatur pro famis ratione, quæ naturalis eſt ingerendi cibi regula, modo ea cautela adhibeatur, ut eſuries quidem, non vero fames perfecte expleatur. Præſtat autem duabus, imo vero, ſi ita videatur, tribus vicibus quotidie eſitare, potius quam menſa unica, cibo immodico ventriculum obruere; verum omnibus prandium luculentius, cœnam vero tenuiorem imperandam eſſe cenſemus, cum, de die in vigilantibus melius, citiuſque confici, quam noctu in dormientibus, doceant ratio & experientia. Quod ad qualitatem attinet, eupepta & euchyma, ſed oligotropha, vel ad ſummum mediocriter nutrientia, eligi debent alimenta,

menta, talia ſunt juniorum animalium carnes, ut caro agnina ; vel vervecina junior, aut vitulina, pulli gallinacei aut indici juniores, gallinæ vel capones anniculi, perdices juniores, cuniculi &c. ablegan-da vero in totum caro ovilla, bubula, porcina, lepores, perdices annoſiores, volatilia annoſiora &c. aut alimenta duriora, concoctu difficilia, vel nimis nutrientia; ſimpliciſſima eſſe debet eduliorum præparatio, aſſatio ſcilicet aut elixatio; abſtinendum enim eſt a ferculis omnibus, quæ aromatibus & garo præparantur, quæque præſentiſſima peſtis cenſeri debent: confert in hac diæta frequens offarum uſus, & panatellarum ex jure, vel cremorum tenuiorum, qui cum jure ex oryza, hordeo, avena, ſpelta excorticatis excoquuntur, quæ eupeptas, & vere euchymas ſorbitiones conſtituunt.

2o. Diæta tantum mediocris concedenda eſt in morbis chronicis, qui lenta ſtipantur febre, ſive quia febre pervertitur digeſtio, ſive quia experientia compertum eſt uberiore chyli transfuſione, turbas in ſanguine tunc excitari, quæ febrem intendant; itaque alimentorum parcior tunc permittitur quantitas, ſolidi tamen cibi concedi etiamnum poſſunt, ſi febris recrudeſcentiæ minimæ ſint; ſed ſi graviores febriles recrudeſcentiæ urgeant, ablegatis cibis ſolidioribus, offis tantum, vel ſorbitionibus, ut panatellis, aut cremoribus, vel juſculis nutriendus eſt æger. Ceterum caute advertendum eſt, quod ſi ſolidiora concedenda videantur alimenta, concedantur longiſſime a recrudeſcentiæ hora; ea vero imminente, ſorbitiones tantum permittantur; tempore demum recrudeſcentiæ, ſola propinentur juſcula. Pauca ſuperſunt dicenda de qualitate alimentorum, quibus veſci poſſunt ægri in iſto caſu, ſiquidem ea cum alimentis ſupra memoratis coincidunt, debentque ex eodem genere ſeligi, eademque ratione præparari.

Secundo, tenuior diæta, quæ acutis convenit morbis, ipſa quoque duplex eſt; tenuis una quæ morbis ſimpliciter acutis aut acutis ex decidentia; tenuiſſima altera quæ peracutis & perperacutis conducit. 1o. In acutis ſimpliciter, aut ex decidentia tenuis concedi debet diæta; quoniam cum ad decimum quartum, imo vigeſimum & etiam ad quadrageſimum diem extendi ſoleant, neceſſum eſt ægros tanto temporis intervallo, firmiore alimonia refici; tenuis autem illa diæta quæ in morbis acutis hodie præſcribitur, tota conſiſtit in ſolo juſculorum uſu, quæ ex decoctis animalium carnibus parantur, & ad ℔. ſ. aut ad ℔. j. qualibet propinantur vice. Utebantur quidem Antiqui, juſculorum loco, ptiſana, ſeu ſpiſſiore hordei decocto, quo conſtat minus augeri, minuſque, quam juſculis, nutriri febrem; ſed in univerſa fere Europa contraria ita nunc invaluit conſuetudo, ut quamquam prava ſit, retinenda tamen videatur, cum nonniſi difficillime immutari poſſit; In morbi principio, parcius quam in progreſſu ægrotantibus præſcribi ſolent juſcula, tum quia integræ valent in initio vires, tum quia in primis viis latet cacochylia, quæ educenda eſt. Itaque tunc parcior exhibenda nutritio, cum juxta HIPPOCRATEM, *quo plus nutrieris corpus impurum, eo impurius reddideris*; inde eſt quod initio juſcula quaterna tantum, in progreſſu vero terna qualibet hora propinentur; ſimili quoque ratione fit ut tenuiora initio, fortiora vero in fine præſcribantur juſcula. Pro diverſa qualitate, quæ in juſculis deſideratur, diverſæ ſeligi debent animalium

carnes;

carnes; ſi aquoſa & infirma eſſe debeant, ut in inflammatoriis quibuſcumque affectibus, ſed præſertim pulmonum, ex carne vitulina, agnina, pullis junioribus; ſi mediocria, ex carne vervecina, capone, aut gallina annotinis; ſi demum firma & valentia, ex carne bubula, perdice, capone annoſo &c. confici debent. Ceterum ſi mediocria deſiderentur juſcula, ea ratione decoqui debent, ut ſingulæ decoctæ carnis libræ, duo juſcula proxime reddant; ſine ſale & larido, lento, æquabilique igne fieri debet decoctio, donec ab oſſibus ſponte ſeparetur caro: inde juſcula ſola decantatione educenda ſunt, levi decoctæ carnis expreſſione, cavendo a carnis contritione, aut compreſſione nimia, qua, quod glutinoſum eſt, una cum juſculo exprimeretur. 2°. tenuiſſima in morbis peracutis & perperacutis ſimperanda eſt diæta, tum quia brevi durant, neque adeo tam magnam virium exſolutionem inferunt; tum quia ſummum foret periculum, ſi corpora impura & vitioſa cacochylia oppreſſa nimis alerentur; tunc igitur aqua fontana pane toſto alterata, vel ptiſana ſimplex ex decocto hordei & graminis propinanda eſt; quod ſi concedenda ſint juſcula, tenuiſſima & vere aquoſa, quæ diluant magis, quam nutriant, concedi debent.

Ceterum hoc ultimum eſt caput diætæ ad vires conſervandas neceſſariæ, ut ægri ſopore per artem conciliato, ſi naturaliter deſit, quieti tradantur: notum enim eſt, vigilia æque celeriter exſolvi vires, ac inedia; ergo ægrotis præſcribenda ſunt narcotica, præſertim ſi contumaciores affligant vigiliæ; ſed hæc repeti poſſunt ex capite de indicationibus mitigatoriis agrypniæ, ubi de iiſdem fuſius egimus, Modo ea methodo dirigatur ægrotantium diæta, manifeſtum eſt nutrimento convenienti quale quantumve morbi ratio permittere poteſt, ſuſtentari ipſorum vires; inde vero tamen vel nullam, vel ſaltem minimam morbo acceſſionem fieri, adeoque una eademque opera utrumque laudis punctum a prudenti Medico illis cautionibus obtineri, cum virium conſervationi efficaciter faveat, abſque affectuum morboſorum incremento.

De reficiendis viribus quæ attritæ ſunt.

Morbo, vel medicamentis nimium attritæ vires, duplici ratione refici poſſunt. 1°. quidem vere, ſi diæta analeptica, humorum per corpus circulantium vere augeatur quantitas. 2°. vero apparenter tantum, ſi remediorum efficacia, humorum motus, & rarefactio ita intendantur, ut auctam falſo referant copiam; adeoque ſimilem, ſed fugacem quoad vires effectum producant; prior quidem tutior, meliorque eſt methodus; ſed cum nimis ſit lenta, neque in iis, qui acute ægrotant, commode adhiberi poſſit, poſteriore tunc utendum eſt, qua torpentes ſubitanea remediorum vi derepente exſuſcitantur vires: itaque primo de diæta analeptica, qua vires vere, ſed lente; dein de remediis cardiacis, quibus vires ſubito ſed apparenter tantum augentur, verba faciemus.

De diæta analeptica ad vires refocillandas.

I. Analeptica diæta diverſa eſt, prout in ægrotantibus, qui febre actu

ctu laborant, inſtituenda occurrit, aut in convaleſcentibus, qui eadem jam vacant. In priori quidem caſu ſorbitionibus tantum inſtaurandum virium robur, quoniam febricitantium ventriculus ciborum ſolidiorum uſum non tolerat; in poſteriori vero ſolidiora concedenda ſunt alimenta, quæ in convaleſcentibus perfectius confici & concoqui poſſunt.

Primo, Itaque ad analepticam febricitantium diætam, qui in morbi declinatione nimium debilitantur, ſequentia communi uſu exhiberi ſolent auxilia. 1°. firmiora & valentiora juſcula, quæ ex majori carnis quantitate, vel etiam ex carne bubula, ex capone annoſiore, ex perdice &c. decoquuntur, & quæ terna qualibet hora aſſumuntur. 2°. Gelatinæ, quarum duæ ſpecies, imbecillior una, altera valentior: nihil aliud eſt imbecillior, quam caponis juſculum, aut carnis vitulinæ, aut utriuſque ſimul decoctæ in aqua cum pedibus vitulinis, vel quod eſt conducibilius, cum ſcobe cornu cervi limato, ut facilius concreſcat, quod juſculum, carnibus ad diſſolutionem uſque coctis, per mantile rarum tranſcolatur, leniterque exprimitur, mox adipe ſtatu deturbata, atque cochleari derafa, injectis ovorum albuminibus clarificatur, & addita ſacchari ℔. ß. pro gelatinæ ℔. iij. in frigidum reponitur locum, vt inſpiſſetur. Valentior vero gelatina fit ex carnibus caponis, perdicis &c. cum cruribus vituli conciſis, & in vas vitreum abſque liquore inditis, quo diligenter obturato, & in balneo mariæ repoſito, fervore exprimitur carnium ſuccus, gelatinæ inſtar ſponte concrefcens. Solet utraque gelatina ad aliquot cochlearia, duo, tria, quatuor &c. ægroto præberi juſculi loco, *juſculove* communi infundi; ſed minori doſi. 3°. Conſumpta & expreſsa carnium, vulgo *des conſommès*, quæ ex carne multa & jurulenta, diuturna coctura, fortique expreſſione, ad paucam extrahuntur quantitatem, quæque gelatina valentius nutrire cenſentur; &, ubi urget neceſſitas, eadem ratione præſcribi ſolent. 4°. ſuccus jurulentus, quem ſemi coctæ ſuppeditant carnes, vulgo *du jus*, cujus unum alterutrumve cochleare infunditur juſculo communi, ut valentius nutriat; carnium autem ſuccus duplici ratione educi ſolet, (a) ſi caro vervecina, bubula, vitulina &c. vulgari modo ſemi aſſata in tenues taleolas calens diſſecetur, inde enim uber profluit jurulentus ſuccus. (b) Si carnes eædem crudæ & in tenues lamellas diſſectæ, craticulæ ferreæ anguſtiori imponantur inter duas lances grandiores concludendæ, atque dein ſuperiori lanci ſuperponatur focus, cujus calore ex carnibus ſuppoſitis, dum excoquuntur, in ſubjectam patenam, quaſi per deſcenſum diſtillatur ſuccus. 5°. demum diſtillata reſtaurantia, quæ ex caponis unius decocti jure, ex mica panis albi, pulveribus, aquis, aut confectionibus cardiacis, ex cruda alterius caponis carne, balneo mariæ, lento igne diſtillando, educantur, quæ ad unum, alterumve cochlear exhibentur, quæque reparandis ægrorum viribus, ac ſpiritibus, aptiſſima ſunt remedia, quia ut facile coquuntur, ita cito diſtribuuntur; rarius tamen nunc uſurpantur diſtillata hujuſmodi, quia operoſius præparantur, aliaque auxilia ante dicta paratu faciliora ſufficere poſſunt. Ceterum notandum eſt auxiliis valentioribus iſtius modi febrem, quæ ægrotantes male habet, re ipſa fortiore, nec non ſalſiore chylo, qui cruori tranſmittitur, intendi; ea ratione fit ut horum uſum prudenter temperare conveniat; ab iiſdem tamen abſtinere minime expediat; cum, ut

vul-

vulgari fertur axiomate, in exhauſtis ægrotantibus, febrem potius, quam virium exſolutionem, oppugnandam habere præſtet.

Secundo, valentior tuto permittitur diæta ad analepſim convaleſcentium, qui omni vacant febre, quandoquidem tunc firmior ventriculi efficacia ſolidioribus cibis digerendis compar eſt: poſſunt igitur in illo caſu ſequentia exhiberi. 1°. Auxilia omnia, quæ febricitantibus convenire diximus, quæque a fortiori convaleſcentibus concedi debent, 2°. offæ, panatellæ, cremores orizæ, hordei, avenæ, ſpeltæ &c. cum juſculis paratæ, quæ ſemel, bis, terve in die permittuntur &c. 3°. Biscocta, & marcipanes, quæ quandoque firmiori convaleſcenti, loco juſculi, ſemel in die concedi ſolent. Biſcocta quidem parantur ex farina puriſſima, ovorumque vitellis, quæ omnia ſaccharo, in aqua roſacea diſſoluto, in panes excepta quadrangulos, elibano incoquendos finguntur; marcipanes vero fiunt ex amygdalis dulcibus excorticatis & contuſis, ſaccharo, in aqua pariter roſarum diſſoluto, exceptis, puriſſima interdum addita farina, micave panis albi pulverata, quæ omnia diligenter ſubacta, in panes dulciarios, aut placentulas concinnantur, deinde in clibano ſenſim & leviter coquuntur. 4°. demum ſi confirmetur convaleſcentia, carnes eupeptæ, euchymæ, ſed olygotrophæ, ut pullus gallinaceus, gallina, aut capo junior, caro vitulina, agnina &c. exhibentur, qua in re diæta convaleſcentium, cum diæta eorum qui chronico affectu cum febre lenta, imo vero cum illorum diæta qui chronico affectu abſque febre laborant, proxime coincidit. Porro autem in convaleſcentibus, quamquam concoctrix ventriculi facultas vigere videntur, enemata, imo vero purgantia minorativa identidem præſcribenda ſunt, ne cibario inaſſueto, cacochylia in primis viis ingeneretur, quæ recidivam pariat.

De remediis cardiacis quorum uſu exſuſcitantur vires.

II. Vires languidas exſuſcitare nequeunt remedia, niſi quatenus humorum circulationi, fluxui, rarefactioni favent: omnia ergo medicamina, quæ cardiaca dicuntur, quæque vires exſuſcitant, ex attenuantium, incidentium, in humoribus rarefactionem inducentium, (qualia ſupra memoravimus, ubi de mitigatoriis indicationibus palloris & frigoris ſyncoptici) genere eſſe debent. Inter hæc efficacia potiſſimum cenſentur, ad vires celeriter refocillandas, vinum generoſum, aqua naphæ, cinnamomi, meliſſæ, theriacalis, cardui benedicti, ſcabioſæ &c. lilium antimoniale Paracelſi, ſalia volatilia omnigena, pulvis viperinus recens, lapis Bezoardicus verus, Bezoardicum minerale, antimonium diaphoreticum, theriaca vetus, confectio hyacinthina, aut alkermes &c. quorum omnium doſes diverſæ, ſupra laudato capite, propoſitæ fuerunt; his addi debent ambræ griſeæ eſſentia a gutt. v. ad VIII. & elixir proprietatis a gutt. x. ad XX. Poſſunt autem iſta ſicut & præcedentia vel ſeorſim præſcribi ſingula propriis doſibus, vel ex iiſdem, ſi ita res videatur, debite temperatis & commixtis julepi, aut potiones multiplices præparari, quæ ex cochleari inter juſcula propinantur, majori tamen doſi propinandæ, ſi nimia virium ſuaſerit exſolutio.

Hæc remedia, ad vires refocillandas, vere utilia ſunt, & præſentanea; a nimio tamen eorum uſu caute abſtinendum. 1°. ſi ex ſignis ma-

manifestis notum sit summo fervore cruorem exæstuare. 2o. si adsit viscerum inflammatio, phlogosis, vel inflammatoria, aut phlogodea dispositio. 3o. si hæmorrhagia immodica laboret æger, qua sit metuendum, ne animam cum sanguine profundat. 4o. tandem si ex intensiore acrimonia colliquescat sanguis: siquidem orgasmus immodicus, quem sanguini communicare solent cardiaca, usu nimio, ejusdem fervorem, viscerum inflammationem, hæmorrhagiam, sanguinisque acrimoniam, & colliquationem morbose intenderet.

INDEX

PRoœmium. *pag.* 1

PARS PRIOR.

De constitutione Medicamentorum seu de Formulis. 2

Sectio prima.

De Compositione Medicamentorum internorum. *ibid.*
§. *I.* De iis quæ sub forma liquida præscribuntur. *ibid.*
—— *Cap.* 1. Apozema. *ibid.*
—— *Cap.* 2. Jusculum. 6
—— *Cap.* 3. Potio. 9
—— *Cap.* 4. Julepus. 17
—— *Cap.* 5. Emulsio. 19
—— *Cap.* 6. Syrupus. 20
—— *Cap.* 7. Ptisana. *ibid.*
—— *Cap.* 8. Looch. 25
§. *II.* De Compositione medicamentorum internorum, quorum forma solida & sicca est. 26
§. *II. Cap.* 1. Pulvis. *ibid.*
—— *Cap.* 2. Bolus. 27
—— *Cap.* 3. Opiata. 29
—— *Cap.* 4. Pilulæ. 32
—— *Cap.* 5. Tabellæ. 34

Sectio secunda.

De Compositione Medicamentorum externorum. 35
§. *I.* De Compositione Medicamentorum externorum quæ sub forma liquida sunt. *ibid.*
—— *Cap.* 1. Fotus. *ibid.*
—— *Cap.* 2. Balneum. Aquæ Thermales. Acidulæ. 37
—— *Cap.* 3. Linimentum. 42
§. *II.* De Compositione Medicamentorum externorum quæ sub forma solida sunt. 45
—— *Cap.* 1. Cataplasma. *ibid.*
—— *Cap.* 2. Emplastrum. 46
—— *Cap.* 3. Vesicatorium. 47
—— *Cap.* 4. Pomata. 48
—— *Cap.* 5. Unguentum. 49

Sectio tertia.

De Compositione Medicamentorum mediorum. 52
§. *I.* De compositione Medicamentorum mediorum liquidorum. *ib.*
—— *Cap.* 1. Clyster. *ibid.*
—— *Cap.* 2. Injectio. 57
—— *Cap.* 3. Gargarisma. 59
—— *Cap.* 4. Collyrium. 62
§. *II.* De compositione Medicamentorum mediorum quæ sub forma solida sunt. 65
—— *Cap.* 1. Suppositorium, *ibid.*
—— *Cap.* 2. Pessarium & Nascale. 66
—— *Cap.* 3. Sternutatorium & Masticatorium. *ibid.*

PARS

PARS POSTERIOR.

De Methodo medendi seu de Indicationibus. 69

Sectio prima.

De Indicationibus prophylacticis quæ a causa morbifica deducuntur. 70
§. *I.* De Indicationibus quæ a Plethora repetuntur. *ibid.*
—— *Cap.* 1. De Sanguinis missione. 71
——— *Art.* 1. Quid & quotuplex sit sanguinis missio. *ibid.*
——— *Art.* 2. Quæ sit utilitas evacuatoriæ S. M. 73
§. *I. Cap.* 1. *Art.* 3. Quæ sit utilitas revulsivæ S. M. 75
——— *Art.* 4. Quæ sit utilitas derivativæ S. M. 76
——— *Art.* 5. Quæ indicent aut contraindicent S. M. 78
——— *Art.* 6. Quæ cautelæ ad S. M. necessariæ sint. 79
—— *Cap.* 2. De Cucurbitulis. 81
—— *Cap.* 3. De Hirudinibus sive Sanguisugis. *ibid.*
§. *II.* De Indicationibus quæ a Cacochylia oriuntur. 83
—— *Cap.* 1. De Vomitione. De Vomitoriis. 84
——— *Art.* 1. Quæ indicent aut contraindicent vomitionem. 86
——— *Art.* 2. Quæ cautiones ad vomitionem sint necessariæ. 88
—— *Cap.* 2. De Purgatione, & ejus requisitis.
——— *Art.* 1. Quæ indicent & contraindicent purgationem. 91
——— *Art.* 2. Quotuplex sit purgantium differentia. 93
——— *Art.* 3. Quæ cautiones ad purgationem necessariæ sint. 95
—— *Cap.* 3. De usu Clysmatum. 97
§. *II. Cap.* 3. *Art.* 1. Quæ sit utilitas clysmatum evacuantium. *ibid.*
——— *Art.* 2. Qualis esse debeat clysmatum usus. 98
§. *III.* De Indicationibus quæ desumuntur a cacochymia. 100
—— *Cap. unicum.* De Fonticulis, Setaceis & Vesicatoriis. 102

Sectio secunda.

De Indicationibus therapeuticis quæ a morbo repetuntur. 106
§. *I.* De Indicationibus quæ a morbis partium solidarum deducuntur. *ibid.*
—— *Cap.* 1. De morbis partium similarium & indicationibus inde desumendis. *ibid.*
—— *Cap.* 2. De morbis partium organicarum in conformatione & eorumdem indicationibus. 107
——— *Art.* 1. De vitiosa partium organicarum conformatione penes figuram & superficiem. 108
——— *Art.* 2. De vitiosa earumdem conformatione pene meatus & poros. 109
—— *Cap.* 3. De morbis partium organicarum in magnitudine, & indicationibus inde desumendis. 110
§. *I. Cap.* 4. De morbis earumdem in numero & indicationibus curatoriis inde desumendis, 114
—— *Cap.* 5. De morbis earumdem in compositione & indicationibus inde desumendis. *ibid.*
§. *II.* De Indicationibus quæ repetuntur a morbis fluidorum. 117
—— *Tit.* 1. De Indicationibus quæ vitiosæ sanguinis qualitati conveniunt. *ibid.*
——— *Cap.* 1. De Indicationibus vitiosarum sanguinis diathesium. 118
——— *Art.* 1. De Indicationibus diathesis grumosæ. *ibid.*
——— *Art.* 2. De Indicationibus diathesis dissolutæ. 119
——— *Art.* 3. De Indicationibus siccæ & gummosæ diathesis. 120
——— *Cap.* 2. De Indicationibus sin-

singularum sanguinis dyscrasiarum. 123
——— *Art.* 1. De Indicationibus serosæ dyscrasiæ. *ibid.*
——— *Art.* 2. De Indicationibus acidæ aut salso-acidæ dyscrasiæ. 124
——— *Art.* 3. De Indicationibus dyscrasiæ acris, aut salso-acris, & ammoniacalis. 126
§. *II. Titul.* 2. De Indicationibus quæ morbosis sanguinis motibus conducunt. 127
—— *Cap.* 1. De Indicationibus fermentationis & circulationis præternaturaliter auctarum. 128
—— *Cap.* 2. De Indicationibus earumdem p. n. imminutarum. 129
§. *III.* De Indicationibus quæ a morbis compositis deducuntur. *ibid.*

Sectio tertia.

De Indicationibus mitigatoriis quæ a symptomatibus urgentibus deducuntur. 130
§. *I.* De actionibus læsis & indicationibus mitigatoriis inde repetendis. 131
—— *Cap.* 1. De læsis actionibus animalibus, ubi potissimum de agrypnia & mitigatoriis ejusdem indicationibus. *ibid.*
——— De dolore. 134
—— *Cap.* 2. De læsis actionibus vitalibus, ubi præsertim de tussi & mitigatoriis ejusdem indicationibus. 137
—— *Cap.* 3 De læsis actionibus naturalibus, ac imprimis de anorexia & dysorexia & mitigatoriis eorumdem indicationibus. 139
§. *II.* De vitiis excretorum, & indicationibus mitigatoriis inde desumendis. 144
—— *Cap. unicum.* De Indicationibus mitigatoriis fluoris albi, sive fluxus muliebris. *ibid.*
§. *III.* De qualitatibus mutatis, & indicationibus mitigatoriis inde deducendis. 148
—— *Cap. unicum.* De Indicationibus mitigatoriis frigoris & palloris syncoptici. *ibid.*

Sectio ultima.

De Indicationibus vitalibus, sive conservatoriis quæ ab ægrorum viribus deducuntur. 151
§. *I.* De ratione conservandarum virium præsentium. *ibid.*
—— *Cap.* 1. Quia prudentia remedia ad virium conservationem ægris administranda sint. 152
—— *Cap.* 2. Quæ diæta ægrotantibus imperanda sit ad virium conservationem. 153
§. *II.* De reficiendis viribus quæ attritæ sunt. 155
—— *Cap.* 1. De diæta analeptica ad vires reficiendas. *ibid.*
—— *Cap.* 2. De remediis cardiacis quorum usu vires excitantur. 157

JO-

B
AU